GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [1] - -


leibn. marg
1
Hss - Zimmer

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover
Am Archive 1

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Randnoten von

G. W. Leibniz.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

ARNOLDI GEULINX

METAPHYSICA VERA

ET AD MENTEM

PERIPATETICAM.


OPUS POSTHUMUM,

Juxta manuscriptum jam editum.



AMSTELAEDAMI,
Apud JOANNEM WOLTERS.
cIↃ IↃC LXXXXI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!

CUm jam plurimorum annorum decurſu non ſtudioſæ tantum juventutis, ſed virorum quoque haud vulgaris eruditionis ardentiſſimis votis expeteretur præſens, quod exhibetur, opus, quod ubivis in clariſſimi Authoris Scriptis citatum legimus, conatuque inani bibliopolarum officinæ pulſarentur, in dubium haud immerito à quibusdam vocatum eſt an fuerit unquam hic fœtus in rerum natura, vel an non potius conceptus tantum in Authoris mente, quem morte præventus non abſolvere vel potius non ordiri potuiſſet, aut ſi

*

un-

unquam extitisset, annon privatis unius vel alterius duntaxat continueretur parietibus, qui, quominus in lucem protraheretur, sedulo fortean caverent. Hinc ea qua pollet cura ac desiderio inserviendi bono publico Editor consilium cepit diligentem instituendi inquisitionem, partim ut ejus rei certiores redderet, qui anxie id Scriptum quærere solent, partim ut si voti compos fieret, non amplius Tractatum optimum latere tineisque conteri permitteret; futurum sperans sic ut cætera hujus Authoris nemo non ambabus, ut dicunt, amplexus hactenus est scripta, ut & hic Tractatus Lectori non sit ingratus. Unde factum ut tandem in codicem quendam incideret manu exaratum, non quidem abhorrentem Lectoris oculos, at adeo

adeo confusum, ut quid sit primum, quid ultimum, quid ad textum, quid ad notas referendum sit plane non esset obvium. Extabant non mediocria signa scribæ latinè nescientis, cum nec comma, nec colon, nec puncta suis inserta locis, nec Ortographiæ leges observatæ, sed omnia una eademque serie, majusculis quæ minusculis, minusculis quæ majusculis extare debuissent literis, summaque incuria obsignata potius quam consignata. Hæc quidem initio Bibliopolam videbantur absterrere à proposito suo, at memor fatale hoc fere hujus Authoris excellentissimis esse scriptis, ut ex Ethicis patet, virum quendam hac in re non parum exercitatum quæsivit, qui pro facultate prædictas emendaret mendas, quod & pro virili factum,

at ut nemini unquam fraudi fuit magna in sylva non omnes cepisse feras, ita & facile veniam obtinebit, si Benevolo Lectori in omnibus non satisfecerit, votumque suum ardentissimum assecutus non fuerit. Placuit interim hæc præmonere, ut si quid occurrat præterea emendandum, certo constaret, in quem culpa sit rejicienda. Quod superest petimus Lectorem benignis hoc, quicquid est, excipiat oculis, & si secundam editionem accelerare nos quamprimum velit, ne nobis copiam, quarum quasdam extare adhuc non amplius ignoramus, nostra accuratiorem, quamprimum suppeditare cunctetur. Vale.

METAPHYSICA VERA.

INTRODUCTIO AD PRIMAM SCIENTIAM.

CAPUT I.

1 Metaphysica est primæ scientiæ, & aliarum ea cum perpetuo nexu & sine interruptione cohærentium complexio.

2 Constat igitur scientia prima & aliis quibusdam: sed talibus, quæ cum prima scientia perpetuitatem habent; & propter hanc perpetuitatem aliarum scientiarum cum prima, quæ ad Metaphysicam requiritur, ipsa integra Metaphysica simpliciter etiam vocari potest *prima Scientia.*

3 Perpetuitas illa tollitur duobus modis, nempe per excursum & miscellam.

4 Excursus fit in Metaphysica,

cum circa affectionem aliquam, ad quam descendendo a prima Scientia deventum est, tum quando plura aggregantur, sine expresso respectu ad alia.

5 Tres aut quatuor sunt tales excursus a Metaphysica, nempe Geometria (quæ est excursus in figuras) Arithmetica (in numeros) Logica (in Consequentias) & fortassis etiam Ethica, quæ est excursus in mores. Sed hæc latius discutere, non est hujus loci. Spectat enim hæc tractatio ad Encyclopædiam. Nota interim hos excursus a Metaphysica, paris cum illa puritatis & claritatis esse.

6 Per miscellam perpetuitas adhuc magis interrumpitur, quando nempe cum scientiis hypotheses sumuntur, adeoque est miscella quædam eorum, quæ scimus, ac eorum, quæ ignoramus, & tantum esse supponimus.

C A-

CAPUT II.

1 Cum Metaphysica igitur sit prima scientia, vel potius pro limine suo habeat primam Scientiam (id enim nos per Metaphysicam intelligimus, quid alii intelligant, non moramur) necesse est, ut ante ingressum in Metaphysicam, consideres te ipsum, ut vacuum ab omni scientia: quomodo enim ad primam scientiam pervenire vis, si jam nunc ad aliquam te pervenisse existimes. Hoc tamen caute intelligendum est, & necesse est, ut supponas te vacuum esse ab omni scientia, quam possideas, non vero, qua dirigaris. Necesse enim est, ut ante ingressum illum in Metaphysicam, vel primam Scientiam, aliqua tibi adsistat scientia, quæ te dirigat: Alioquin hoc ipsum, ingressuro ad primam scientiam, hanc considerationem incumbere, qua se ipsum

vacuum ab omni ſcientia conſideret, nonnullius eſt Scientiæ, ſed talis, qua ſe tantum dirigat, & ad Metaphyſicam diſponat, non vero quam ut ſuam, & a ſe poſſeſſam conſideret, qui ad Metaphyſicam accingitur.

2 Imo, qui ad Metaphyſicam iter intendit, conſiderat ſe ipſum, ſeu ſupponit, ſe vacuum abſolute eſſe ab omni ſcientia, ſeu poſſeſſa, ſeu directrice; quamvis vero hoc non poſſit ſine aliqua ſcientia directrice ſupponere, tamen inde ſequitur tantum, quod hæc ſuppoſitio ſe ipſam evertat, ideo ſupponimus, nos nullam habere ſcientiam, ut aliquam in nobis deprehendamus ſcientiam, & præſertim ut illam deprehendamus, quæ prima eſt, quæ certe non poteſt eſſe alia, quam illa, quæ primùm poſt talem ſuppoſitionem in lucem redit, & quaſi emergit.

3 Cum autem, ante ingreſſum Metaphy-

taphyſices, ſe ipſum oporteat conſiderare, vacuum ab omni ſcientia, hinc ſequitur ante ingreſſum illum, omnia habenda, ac ſi falſa eſſent. Quod enim neſcis, hoc quantum tua refert, falſum eſſe poteſt. Aut enim dubitas de eo, quod neſcis, aut falſum eſſe noviſti, utrumvis fiat, falſum eſſe ſupponi poteſt.

4 Nota, ſuppoſitionem non ſpectare veritatem (poſſunt enim falſa quælibet & abſurda ſupponi) ſed alium aliquem ſcopum, qui poteſt eſſe quadruplex. Primum, ut intelligas. Secundum ut neges. Tertium, ut inferas. Quartum, ut narres.

5 *Ut intelligas*, ſic calculi inter ſupputandum ſumuntur pro ſummis & nummis, ut ſumma capitalis recte intelligatur.

6 *Ut neges*, quotieſcunque enim negamus affirmationem, illam prævie ſupponimus, quam negando

evertimus, nam everti non potest, quod non positum erat.

7 *Ut inferas*, quælibet enim absurda supponimus, ut videamus, quid inde sit. Antecedens vero debet supponi verum, ex quo aliquid inferendum est, nam quod ex propositione ut falsa sequitur, non ex ipsa propositione, sed ejus contradictoria sequitur.

8 *Ut narres*, Narrando enim ab aliis dicta, ea dicta & non contradictiones eorum narramus, adeoque necesse est, ut ea dicta vera esse supponamus, nam si falsa supponeremus, non narraremus dicta. Hæc clarius discussa, vide in mea prima disputatione Metaphysica.

9 Sed hæc est prærogativa illius suppositionis, qua sic omnia ante ingressum in Metaphysicam falsa esse supponimus, quod suppositum illud, quamdiu in illo statu versamur, nec debeat, nec possit absurdum

dum videri: ſecus atque fit in pluribus aliis ſuppoſitionibus. Nam inter ſupponendum, etiam id, quod ſupponimus, pro abſurdo habemus, ut inter computandum, calculos ſupponentes pro nummis ſcimus, & fatemur, id quod ſuppoſitum eſt, abſurdum eſſe. At vero ante ingreſſum Metaphyſices, ſiquidem nihil ſciamus (Metaphyſica enim eſt prima ſcientia) non poteſt nobis videri abſurdum ſuppoſitum, quo quævis ſine diſcrimine falſa eſſe ſupponimus. Quod enim neſcimus, quantum noſtra refert, falſum eſſe poteſt; ſeu id, quod neſcimus, ſaltem contingens eſt, adeoque falſum eſſe poteſt. Imo, licet ſingula etiam ſupponas eſſe falſa, tamen ſuppoſitum tuum abſurdum tibi videri non poterit, quamdiu mentem advertis ad ſtatum tuum, potius quam ad ſuppoſitum. Sta-

tus enim tuus est candidati Metaphysicæ, seu euntis ad primam Scientiam, per consequens ignorantis omnia, ut jam sæpe dictum.

10. Sed hoc etiam monendum est, hanc suppositionem, cum supposito ejus non videtur absurdum nobis, tantum versari circa universa, non vero circa singula: impossibile enim est, nos singulas veritates ut falsas supponere, quin suppositum nostrum nobis sæpe videatur absurdum. *V. g. si supponere velis falsum esse, quod A. sit A. &c.* necesse, ut videas suppositum tuum esse falsum. Sed cum generatim & universaliter, nullam sigillatim veritatem tibi proponendo, omnia falsa proposueris, suppositum tuum, in eo statu (quo jam Metaphysicam ingressurus sis) versanti tibi non debet absurdum videri: imo sic debet æquis-

æquissimum videri: æquissimum enim est, cogitare, ei subesse posse falsum, quod ignoras: scilicet, quantum tua refert, & hoc satis est.

11 Suppositio hæc, qua sic omnia falsa esse supponimus, facit etiam ad præclarissime demonstrandum primam veritatem, præclarius enim propositio aliqua non potest demonstrari, quam per dilemma, in quo ex falsitate propositionis demonstrandæ, infertur per consequentiam necessariam veritas ejusdem: propositioni enim sic demonstratæ falsum subesse non potest, sed necessario vera est: nam sive vera, sive falsa ponatur, vera est. V.g. *si dicam aliqua propositio vera est.* Dico adversario, pone hoc esse verum, aut non, perinde est nam nihilominus demonstrabo esse verum. *Si enim verum sit, aliquam propositionem esse veram,* ergo verum est. Si vero fal-

ſum ſit, *aliquam propoſitionem eſſe veram.* Ergo ſaltem verum, nullam propoſitionem eſſe veram, & ſic equidem aliqua propoſitio erit vera. In hoc conſiſtit natura dilemmatis, in tali, inquam, modo inferendi.

12 Ante ſuppoſitionem, qua falſa ſupponimus quævis indiſcriminatim, ſuſpectare verè poſſumus illas propoſitiones in genere, quæ nobis ante hac certiſſime videbantur; idque per rationes, ut apparet, convincentes, quamdiu intellectum avertimus ab evidentia iſtarum propoſitionum, quas tam certo & evidenter ſcimus. Ac primo nihil eſt, quod nos tam certos reddebat iſtarum propoſitionum, quam evidentia, ſeu evidens intuitus ipſarum: jam autem fieri facile poſſe videtur, ut evidens ille intuitus fallat, nam obſervatur ad tempus aliquando fallere. Sic aliquis 30 annorum

agens

agens cum ephebo. 15. annorum, cum ætatem ſuam duplam diceret, duplam etiam manere debere, quoad uterque viveret, aſſerebat, idque ei evidens videbatur, & multis etiam num videtur prima fronte; nemo autem noſtrum eſt, qui aliquando, in ſimilibus propoſitionibus, ad tempus aliquod, ſpecie evidenti deceptus non fuerit, quod ſic ad tempus fit, facile in aliquibus fieri poſſet perpetuo.

13 Et videtur ratio aliqua convincens militare pro iſta perſuaſione, cum enim certo aliquo modo ſe habeant hi duo, ut duplum & ſimplum, quamdiu utrique idem accedit, videntur eodem in ſtatu permanere, cum enim ea, quæ eodem modo ſe habeant, mutantur, & modum iſtum amittunt, certum eſt, fortius aliquid uni eorum, quam alteri acceſſiſſe. Sic duo parietes albi eodem modo, ſemper

eodem modo albi manebunt, quamdiu æque multum albedinis accedit ad utrumque: & æqualia ſemper manebunt æqualia, quamdiu idem, aut æque multa iis addentur. Unde videmus, falſitatem iſtius principii, *duplum & ſimplum cum idem & æqualia accedunt utrique, ſemper duplum & ſimplum manebunt*, agnoſci tantum a poſteriori, applicando mentem ad exempla *dupli & ſimpli* (veluti cum videmus 30 & 15. quæ duplum ſunt & ſimplum, accedente unitate fieri 31. & 16. jam autem 31. & 16. non eſſe duplum & ſimplum) quamdiu autem a priore principium intuemur, fotiſſimum eſſe videtur, & nihil occurrit, quod veritatem ejus ſuſpectam reddere poſſe videatur.

14 Secundo, intellectus noſter corrigit ſenſum in evidentiùs ſuis, cum enim ſenſus evidentiſſime percipiat circulum igneum, dum titio in tenebris circumagitur, intel-

intellectus tamen evidentissime dicit, non esse circulum igneum, sed ignem duntaxat in circulum actum. Quid scimus autem, an sicut sensus corrigitur in sua evidentia à facultate aliqua altiori, sic etiam intellectus, in suis evidentiis, non possit corrigi à facultate ipso altiore: certe, intellectus non evidentius percipit duo & tria esse quinque, quam aspectus percipiat circulum igneum in casu posito.

Ast altior facultas dicit, non esse circulum igneum, & forte similiter altior facultas diceret nobis, duo & tria non esse quinque; si illam haberemus. Talis autem facultas altior intellectu nostro, non apparet, cur esse non possit, imo apparet eam esse, cum enim intellectus noster multa ignoret, patet, debere esse facultatem, quæ hæc sciat, sed ut ut sit, saltem hoc satis est, ad omnes evidentias

noſtras in dubium revocandas, quod non videmus, cur talis aliqua facultas eſſe non poſſit.

16 Tertio, habemus facultates cognitivas inter ſe diſſidentes, & ſibi contradicentes; ſenſus enim affirmat & intellectus negat, & contra, ut apparet in exemplo allegato, & pluribus aliis, quæ demonſtrari poſſent, ſi opus eſſet. Neſcimus ergo, cui fides ſit adhibenda, an intellectui, an ſenſui, intellectus quidem nobis videtur altior potentia & dignior, ac proinde ei potius, quam ſenſui adhærendum eſſe convenit, ubi hi inter ſe diſſident. Sed quis dicit, intellectum ſenſu digniorem eſſe, niſi ipſe intellectus? ſenſus enim hoc non dicit, ſed oſtendit & repræſentat modo objecta, num ipſe dignior aut indignior in medio relinquit. Cur igitur hic potius audiemus intellectum, quam ſenſum? imo potius ſenſus videtur

tur dignior, & cui potiori jure adhibenda fides sit, ut qui generosior, totam illam controversiam majoris aut minoris, suæ, vel intellectus dignitatis, in medio relinquit. Sic olim Epicuro visum est, qui asserebat intellectum & rationem sæpe nos decipere, sensum vero nunquam, unde a ratione abeundum, & penitus cum sensu standum esse docebat, sensusque quæcunque dictaret vera esse, unde interrogatus, an eminus visa, minora, cominus visa, majora essent. Non dubitabat affirmare, & redargutus inde sequi, unam eandemque rem & magnam & parvam esse debere: respondebat, id quidem intellectui absurdum videri, non vero sensui, cui soli ipse adhærebat.

17 Quarto, hoc ipso, quo ante ingressum in Metaphysicam nos ipsos considerare debemus, ut ignaros omnium,

omnium, neceſſe eſt, ut eo in ſtatu de omnibus dubitemus, quod enim ignoras (neſcis eſſe verum) id vel ſcis eſſe falſum, vel etiam hoc neſcis: illud non poteſt cadere in te verſantem in eo ſtatu, in quo hic poneris, ante ingreſſum Metaphyſicæ, quæ eſt prima Scientia, hoc vero ſi ſit, jam de quovis indiſcriminatim, neſcis eſſe verum, & neſcis falſum eſſe, hoc eſt, dubitas. Dubitare enim nil eſt aliud quam neſcire, utrum verum an falſum ſit, & hoc ipſo, quod de propoſitione adeo ignarus es, ut neſcias, an vera an falſa ſit, eo ipſo de illa dubitas. Hæc poſtrema ratio humanior eſt, & tantum infert dubitationem in ordine ad certum ſtatum, & certam conſiderationem, præcedentes autem plus volunt, & abſolute ad Scepticiſmum adſpirant, hoc eſt, ad ita dubitandum, ut ſemper dubitandum ſit. Sceptici igi-

tur

tur relinquendi ſunt ante fores Metaphyſices: quia nempe, ut ſcientiam nullam ingredi volunt, ita ne in primam quidem: de quolibet dubitant, aut verius dubitare ſe dicunt, etiam de eo ipſo, num dubitent, & rurſum de hoc ipſo, uſque in infinitum: remoram autem ſuis argumentis nobis injecerunt, & quaſi ad manendum ſecum induxerunt, quæ amoliri debemus.

18 Rationes igitur, quas adferunt, vel ſunt evidentes, vel veriſimiles tantum (velut Sceptici volunt) nullæ tamen ſunt, quia veroſimile nihil poteſt ad veriſimile evertendum, nedum ad evidens aliquid evertendum: poſſunt enim eodem tempore duo quæpiam, quæ oppoſita eſſe novimus, & ſimul ſtare non poſſe intelligimus, veriſimilia nobis eſſe: v. g. in judiciis forenſibus, ſæpe pars actoris veroſimilis, & æque

æque verisimilis pars rei videtur. Igitur rationes, quas Scepticorum nomine produxerimus, & omnes aliæ similis farinæ, absolute nullæ sunt; nam nullæ sunt, vel aliquæ sunt, si nullæ, bene habet, (hoc enim demonstrare intendimus) si aliquæ, equidem absolute nullæ sunt, sive enim evidentes, sive verisimiles tantum fuerint, nihil valent, ut est demonstratum, adeo ut productæ rationes se ipsas evertant, seu falsificantes sint, ut Logici loquuntur, falsificante autem propositione nihil falsius, ut ars illa demonstrat.

19 Sunt igitur istæ rationes Scepticorum velut mortuæ quædam, & quamdiu intellectus se avertit ab evidentia & claritate propositionum sibi notissimarum, aliquid valent, & dubitationem ei aliquam, etiam quoad ea, quæ certissima putaverat, injicere possunt

ſunt, ſed ſimul atque intellectus ſe iterum convertit ad evidentiam earundem propoſitionum, & ſigillatim ſibi aliquas earum proponit, quas meminit ſibi aliquando tam claras atque illuſtres fuiſſe, non poteſt fieri, ut de illis dubitet, hoc eſt, ſentiat neſcire ſe, veræ ne ſint an falſæ: ſuſpendere aſſenſum ſuum, qui voluntati debetur, (quod ſuſpendere etiam dubitare vocant) poteſt forte, ſed ſaltem dubitare tunc non poteſt, quaſi neſciat veritatem illarum, ſeu quaſi non videat, utrum ſint falſæ an veræ, ſed contra clariſſime convincitur, & fateri cogitur, ſe de iis non poſſe cogitare aliter, quam quod veræ ſint. Et quamvis Sceptici noſtras rationes eludere aliquatenus poſſint, & noſtras non magni facere debeant, qui ſuas infimo loco ponant, & mere pro dubiis adferant,

rant, hoc tamen movere nos non debet, qui intus & in mente clariſſime nobis conſcii ſumus, propoſitionibus quibuſdam, quas evidenter intuemur, quamdiu ſic intuemur, quamdiu nos ab illa claritate non avertimus, falſum ſubeſſe non poſſe.

20 Nec enim Philoſophia ad alios debellandos & convincendos, eoſque de opinione ſua dimovendos, ſeu potius, ut nobis victas manus dent, & cum victi intra ſe ſunt, ut etiam victos ſe eſſe fateantur, paranda eſt, non magis ſane quam ſanitas corporis ad alios occidendos & mutilandos, ſed propriæ ſaluti, ſicut enim ſanitas ſe habet ad corpus, ita Philoſophia vera ad animum, quæ hic per parentheſin interceſſiſſe ſufficiat, & valere juſſis Scepticis accingam me ad ingreſſum Scientiæ.

21 Prius tamen nota, hic taxari potiſſi-

tissimum adolescentes, qui Philosophiam fere prosequantur, ut disputare possint, & vel mordicus sustinere sententiam suam, vel alios de scientia sua, velut de gradibus, deturbare. Sed quamdiu sic affecti sunt, sciant se quam longissime abesse à vera Philosophia.

PRIMA SCIENTIA.

ATque ita generatim refutavimus (aliud enim hic ante ingressum Metaphysicæ non decebat) Scepticorum rationes, ostendimusque eas nihil valere, ad remorandum nos in via ad Philosophiam, & sane convincere non potest, id quod dubium est, quatenus tale (quis enim convincatur, & ad assensum permoveatur, audita hac propositione: *arenæ maris sunt numero pari*. Atque Sceptici suas rationes non majoris venditant, eas ut cætera omnia pro dubiis ducunt, alias enim Scepticinon sunt, ut nec tirones eorum esse solent, qui quidem rationes, quibus eorum magistri omnia in dubium revocant, pro certis habent, sed de reliquis omni-

omnibus dubitant, ſed ut dixi Scepticus nemo eſt, niſi qui eas ipſas rationes & omnia omnino in dubium revocat. Quod ſi rationes illæ dubiæ ſunt, certe invalidæ ſunt, adeoque detinere nos non poſſunt, & nihil jam obſtat, quo minus ſcientiam aliquam inquiramus: ſpes enim ejus per Scepticorum rationes infirmas non decollatur. Converto igitur me ad meam rationem, qua, ante ingreſſum primæ Scientiæ, conſiderabam me ipſum ut ignarum prorſus, & per conſequens dubitantem de quovis. Clariſſimum autem eſt, me hæc varia cogitaſſe, per conſequens ME eſſe, impoſſibile enim eſt, ut omnia iſta cogitaverim & cogitem, & tamen nihil ſim, hæc eſt ergo

PRIMA SCIENTIA.

Qua me cogitare & eſſe intelligo.

Etiamſi Scepticorum nebulæ ſubinde intercurrere poſſint, atque mihi inculcare, me alias in tali evidenti rerum inſpectione aliquando deceptum fuiſſe, item forſitan, intellectum corrigi poſſe à ſuperiori facultate (potentia) ſicut intellectus ipſe ſenſum in ſuis evidentiis corrigit, &c. Nihil tamen poſſunt, memini illas ſe diſſipare nebulas, memini aliquid poſſe, cum me averto ab evidentia, nihil poſſe, quamdiu intellectum in iſtam evidentiam intendo.

SE-

SECUNDA SCIENTIA.

Varios habeo cogitandi modos in indefinitum.

HÆc Scientia auctuarium est quoddam primæ partis primæ Scientiæ, qua cogitare me resciveram: conscius enim sum, me videre (atque hic iterum non unus, sed quam plurimi modi cogitandi sunt, aliter enim me habeo, viredinem, aliter flavedinem, aliter alios colores, aliter adhuc lumen aspiciendo) me audire (& hic iterum quam plurimi sunt cogitationum modi: aliter siquidem me habeo fragorem audiens, aliter susurrum, aliter Musicum concentum, &c.) me tactu percipere (& hic iterum ingens acervus cogitationum, aliter enim me in dolore habeo, rursumque aliter in dolore acuto, aliter in dolore obtuso, pungente, lancinante, & aliter in titillatione, & palpitatione, aliter dum calorem, aliter dum frigus sentio, &c.) me olfacere, me gustare (sunt autem mille modi saporum & odorum) ad hæc, me affirmare, me negare, copulare, distinguere, inferre, præscindere; item amare, odisse, timere, &c. Quos omnes modos esse cogitationum mearum inter se diversos, quosdam etiam minus, quosdam etiam magis diversos esse, ex conscientia ipsa notissimum,

etiam

etiam mihi certissimum & evidentissimum est. Cogito & indefinitis modis cogito: at num sic sunt, ut cogito, adhuc nescio, nescio enim, an quia lumen video, lumen sit, & an ita sit, ut video, extra me corpus aliquod diffusum, idem est de sonis, de odoribus, &c. sed etiamsi hoc nesciam, non possum tamen illud nescire, quum intelligam clarissime, me videre lumen, & colores, me audire sonos, quia hoc nil aliud est, quam hoc vel illo modo me habeo, cujus modi hoc ipso, quo illum habeo, intime mihi conscius sum.

TERTIA SCIENTIA.

Ego sum res una atque simplex.

AUctuarium hoc est secundæ partis primæ Scientiæ, nam & ego sum, & ego simplex quædam, indivisa, & partium omnium expers res sum, nullius enim meæ partis mihi conscius sum, imo conscius sum mihi clarissime, nullam in me partem esse, *corpus forte habeo* (hoc enim postea discutiendum erit) atque illud partes quasdam habet, ego nullas: ego cogito & diversissimis modis cogito, sed quod in me omnibus illis modis cogitat, unum idemque, & per consequens, simplex est, clarissime enim mihi conscius sum,

non

non aliud in me esse, quod videt (quantum existimo, oculis) & quod dolet (quantum existimo, pedibus) & quod audit (quantum existimo, auribus) & quod jam Philosophatur, & quod alio atque alio tempore videbat, audiebat, Philosophabatur, &c. Sed me unum prorsus eundemque videre, audire, dolere, Philosophari, jamque æque atque alias, adeoque impossibile, ut ullam in me, quatenus cogito, partem deprehendam.

QUARTA SCIENTIA.

Multæ sunt in me, quæ a me non dependent cogitationes.

NEque enim, si hunc vel illum colorem videre velim, ideo videbo illum: neque, si musicum concentum audire velim, ideo illum audiam: neque, si cupediarum & bellariorum saporem habere velim, illum habebo: sunt equidem illæ cogitationes meæ, seu modi quidam cogitandi in me, cum purpuram video, cum melodiam audio, cum cupediis & bellariis fruor, sed ab arbitrio meo (quod intime mihi conscius sum) minime dependentes: neque enim obvenient mihi, hi ac similes quamplurimi modi cogitationum mearum, si ob-

venire illas mihi voluero, exspectandum est tempus, opportunitas præstolanda, certo modo alia quæpiam habere se debent, ut tales modi mihi obversentur. Cum interim illos modos clarissime in me percipiam, aut percepisse me aliquando cognoscam, & me percipere in posterum posse, intelligam, impossibile est, ut sponte mihi obveniant, seu a nulla re, & a nihil in me sint, pendent igitur aliunde, quantum existimo, a corpore meo, sed id in præsenti tantum existimo, nescio enim adhuc, quid corpus ad istud conferre possit, *nihil dum proportionis aut potentiæ video* in eo ad illud negotium expediendum.

QUINTA SCIENTIA.

Est sciens aliquis & volens diversus a me.

SUnt enim quidam modi cogitandi in me, qui a me non dependent, quos ego ipse in me non excito, excitantur igitur in me ab aliquo alio (impossibile enim est, ut a nihilo mihi obveniant) at alius, quicunque sit, conscius esse debet hujus negotii, facit enim, & impossibile est, ut is faciat, qui nescit, quomodo fiat; est hoc principium evidentissimum per se, sed per accidens & propter præjudicia mea, & antecæptas opiniones

nes redditum est non nihil obscurius; jamdudum enim persuasum habeo, res aliquas, quas brutas esse, & omni cogitatione destitutas agnoscebam, aliquid operari, & agere. Existimavi v. gr. ignem, quod ad ejus præsentiam, sensus in me caloris produceretur, calefacere, & hoc calefacere sic percipiebam, sic interpretabar, ac si esset calorem facere, similiter solem illuminare, juxta similem interpretationem, lumen efficere, lapides cadere, ut interpretabar, se ipsos præcipites dare, & motum illum efficere, quo deorsum ruant; ignem tamen solem, lapidesque brutos esse, sine sensu, sine cognitione hæc omnia operari existimabam, sed cum intellectum intendo in evidentiam hujus principii, *quod nescis, quomodo fiat, id non facis*, non possum non videre me, falsum fuisse, & mirari mihi subit, cum satis clare agnoscam, me id non facere, quod nescio, quomodo fiat, cur de aliis aliquibus rebus aliam persuasionem habeam: & qui mihi dico, me calorem non facere, me lumen, & motum in præceps non efficere, quia nescio, quomodo fiant, cur non similiter, igni, soli, lapidi idem illud improperem, cum persuasum habeam ea nescire quomodo effectus fiant, & omni cognitione destitui.

SEXTA SCIENTIA.

Is idem cogitationes illas in me ſuſcitat, interventu corporis cujuſdam.

CErtum enim eſt: volentem in me cogitationes excitare (ſec. Sc. V.) quæ diverſæ (II.) Jam autem eas excitare debet, aut mediante me, aut ſe ipſo, aut tertio aliquo: non excitat eas autem, mediante me ipſo, quia cogitationes ſunt diverſæ, & ego ſum res ſimplex, a quo diverſæ cogitationes emanare non poſſunt (III.) non ſe ipſo, quia eſt æque ſimplex ac ego, eſt enim æque volens & ſciens (V.) id eſt cogitans, ac proinde ſimplex, ſimplex enim fui (III.) qui idem cogitavi de variis: reſtat ergo tertium, cujus interventu hoc faciat, quodque variarum mutationum capax eſſe debet, ut per hoc varia cogitationum objecta exſurgant, illudque eſt extenſum, quod poteſt variari, (VII.) ſeu corpus: tertium enim præter cogitans & extenſum nec novi, nec eſt.

Alia Demonſtratio.

Sum clariſſime mihi conſcius, haſce cogitationes in me per corpus aliquod ſuſcitari. Atque tam clare, quam eas me habere ſcio, tam clare etiam ſcio, & in me ipſo deprehendo illas per tale inſtrumentum in me excitari. V. gr. ſenſum hujus vel illius colo-

coloris mihi obvenire ratione oculorum, aut alterius corporis, quod eorum vicem ſupplet, ſimiliter ſapores per linguam, ſonos per aurem, aut varia quædam corpora ſuſcitari. Suſcitantur enim aliquando in me illæ cogitationes, non per conſueta inſtrumenta, ſed per ſpiritus, aut alia quædam, quæ hic in medio adhuc relinquenda ſunt, ſed qualiacunque ſunt, certum, & ex intima conſcientia notiſſimum, corporea eſſe, mole ac extenſione prædita; ſuſcitantur igitur in me variæ cogitationes, idque interventu corporis, atque hoc notiſſimum eſt, cum mentem ad conſcientiam, & ad intimam ejus rei experientiam in me revoco. Cur igitur hoc in dubium poſitum eſt? Reſp. Quia per accidens abſurdum erat, cum per ſe ſit clariſſimum; ſeu quia primo obtutu non ſatis diſtincte id poteram videre: occurrebat enim ſimul inhabilitas, & ſumma diſproportio corporis, ad ſuſcitandum cogitationem aliquam, ſed ſecluſa illa conſideratione, & cum diſtincte illud tantum, quod propoſitum, eſt attendo, non poſſum dubitare, quin cogitationes illæ interventu corporis in me ſuſcitentur. Quantum vero inhabilitatem corporis, quia prorſus inhabile eſſe intelligo, ut cogitationes aliquas per ſe ſubminiſtret mihi: *hoc tantum efficit*, Eum qui cogitationes illas in me, inſtrumento per ſe tam *inepto & in-*

idoneo ſuſcitat, hac in parte ineffabilem eſſe, & plura præſtare poſſe, quam ego poſſum cogitare, quod & verum eſt, & mirum mihi nullatenus videri debet, hoc ſatis eſt, quoad præſens negotium, quod videam, & eum in me ſuſcitare cogitationes illas, & id facere inſtrumento per ſe inepto, aptitudinem vero & proportionem ab eo ſortiente, qui eo tam mirabiliter utitur.

SEPTIMA SCIENTIA.

Suſcitantur etiam in me mediante motu.

QUia unum idemque inſtrumentum uno eodemque modo ſe habens, unum tantum, atque eundem effectum ſortiri poteſt: corpus autem ſine motu, unum idemque eſt, uno ſemper eodemque, modo ſe habet, nempe latum longum, craſſum, præterea nihil: atque cogitationes in me ſunt variæ, diverſiſſimæ, multæ, uſque in indefinitum, quæ mediante corpore in me ſuſcitantur: neceſſum eſt ergo, ut corpus illud, quo velut inſtrumento, ſuſcitantur in me iſtæ cogitationes, tam variis tam multis modis ſe habentes, diverſiſſimis motibus, ut fieri poteſt, moveantur; quamvis autem cogitare poſſem, eum qui cogitationes meas ſuſcitat in me interventu corporis, inſtrumenti prorſus in-

inidonei, posse etiam varietatem illarum cogitationum eodem instrumento invariato inducere (nec enim inde aliud consequens videtur posse deduci, quam sicut est ineffabilis in illo, sic etiam sit ineffabilis in hoc) tamen hoc non est recte uti sua ratione, licet enim mihi aliquid obscurum sit, & esse debeat (nempe cogitationes in me suscitari mediante corpore) non debeo tamen eandem caliginem omnibus aliis affundere, sed ea amplecti, quæ ratio clara facit. Jam autem diversitas mearum cogitationum intelligitur aliquatenus, & quantum mihi datum est per diversitatem instrumenti, quo in me suscitantur (cujus etiam diversitatis instrumentum illud certissime capax est) sine autem illa diversitate instrumenti, obscura & omnino ineffabilis.

His etiam adde, per sensus, & conscientiam nostram iis adsistentem, satis clarum esse, & omnino constare, motus esse in illo instrumento quam diversissimos, & ad eorum diversitatem diversas illas nobis cogitationes suboriri: ut oculo percusso, seu vehementer motis ejus fibrillis à quacunque causa, obversantur animo lumen & scintillæ: iisdem remissius non nihil agitatis diversissimè, colores: quæ omnia clarissime nobis constant per sensum, adsistente ei conscientiâ.

OCTAVA SCIENTIA.

Corpus atque motus, nullam per se habent ad suscitandas in nobis cogitationes, proportionem.

CORpus enim præter molem & extensionem suam nil confert, illa vero quid facient ad suscitandum cogitationes. Motus enim tantum abesse & adesse confert, cum enim eadem pars corporis alteri alicui parti adfuerit, & ab eadem abfuerit, motus factus intelligitur. Sed quid hoc ad suscitandas cogitationes conferre valet? Etiamsi enim corpora infinitis inter se gyris torqueri, infinitis modis sibi invicem occurrere, in se invicem illidi, ad se invicem reflecti possent, tamen in his omnibus nihil per se idoneum, ut in me suscitet vel hilum cogitationis: Etiamsi enim inter se occurrant corpora, certe tamen non incurrunt in me; Ego partium omnium expers res sum, ut supra dictum est. Et qui incursus fiet in id, quod partes nullas habet? molem aliquam habere debet, & consequenter partes, in quod incursus fiet. Ubi ergo non proprie versor inter Corpora, nullum ibi locum, nullum spatium occupo, quantillum occuparem extensus essem,

sem, & totidem haberem partes secundum molem, quod habet tale spatium (non est autem spatium, quantumcunque exile fingatur, infinitas tamen secundum omnem dimensionem habet partes, ut infra patebit) Ego enim hac ratione inter corpora versor, ut in me agant, agant inquam velut instrumenta, non velut causæ. Sed etiamsi in me incurrerent corpora; tamen certum est, hoc per se nihil facere ad percipiendum, ne quidem ipsa corpora, quæ in me incurrerent, tantum abest, ut in me suscitare possent tot diversos perceptionum modos. Igitur longum vi naturæ suæ hoc habet, ut secari possit, circulus, ut aream intra se habeat, sed motus nullam per se talem vim, aut naturam habet, ad suscitandas in nobis cogitationes.

NONA SCIENTIA.

Corpora sunt multa in infinitum, & inter ea aliquod meum est.

QUælibet enim pars corporis, corpus est, seu quælibet pars extensi, extensum est, adeoque nunquam aliquod corpus poni potest, quin multa ponantur. Sed hoc nos suo loco, ubi de corpore agendum fuerit, melius demonstrabimus.

Illud vero corpus meum est, occasione cujus variæ illæ perceptiones in me suboriuntur, quæ à me non pendent: clarissime enim mihi sum conscius talis alicujus corporis, quod nisi certo modo vibretur, colores aut lumen non percipiam, nisi aliter vibretur, non percipiam sonos, aut colorem, frigus aut dolorem.

Est vero hoc meum corpus, non tantum, quod ab illo patiar proxime, sed etiam quod ego in illud quodammodo agam, sentio enim ad arbitrium voluntatis meæ, quædam ejus partes moveri. *V.g.* cum loqui volo, linguam meam huc illuc in ore meo ferri, pedes meos ante me projici cum ire volo, brachia variè jactari, cum luctari instituo. Hoc igitur voco corpus meum, à quo ego sic patior quodammodo (non enim proprie ab eo patior, sed à causa quæ tali instrumento utitur, jam enim ostensum est corpus in me non posse agere. Sed tantum assumi, ut instrumentum, à causa per ipsum in me ineffabiliter agente) & in quod ago quodammodo, nec enim vere in illud ago, sed ad arbitrium voluntatis meæ, quædam subinde partes in corpore meo moventur, non quidem à me, sed à motore, quique ille sit infra patebit.

DE-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [44] - 34
PUBLIC DOMAIN

DECIMA SCIENTIA.

Homo ſum.

ID enim eſt hominem eſſe, *à Corpore aliquo pati, & viciſſim in corpus illud agere*, tali ſc: actione & paſſione, qualem jam deſcripſimus, & quantum ad actionem, infra latius adhuc deſcribetur, cum de motu ſermo erit.

Conſtituunt quidem plurimi rationem hominis, in unione mentis cum Corpore, imo omnes fere in ea unione humanitatem verſari arbitrantur, ſed meminerint unionem non eſſe primam notionem, ſed ſecundam: partes enim corporis, quæ inter ſe unitæ dicuntur, non niſi quiete uniuntur, adeo ut prima notio ibi ſit quies, non unio: inter mentem vero & corpus deberent ſimili pacto notionem primam reſpondentem unioni, quæ tantum ſecunda notio eſt, allegare.

Deinde unio requirit ſtabilitatem aliquam, unde illa in rebus corporeis non dicuntur unita, quæ inter ſe unita quidem ſunt, ſed moventur, quia ſc: non eſt ſtabilis vicinitas illa, ſed fluxa: jam autem ad humanam naturam videtur perinde eſſe, ſive mens ſtabiliter à corpore patiatur, atque in illud agat, ſive hoc ad momentum tantum fiat.

UNDECIMA SCIENTIA.

Humana mea conditio est penitus independens à me.

UNio enim illa, qua cum corpore unitus sum, & aliquatenus stabiliter ab illo patior, & viciſſim in illud ago, non poteſt aliud eſſe, quam voluntas, & beneplacitum ejus, qui mediante corpore & motu in me ſic agit, itemque ad arbitrium voluntatis meæ ſic agit in corpus meum. Mei ergo arbitrii partes nullæ ſunt, veni enim ad conditionem illam (i. e. natus ſum, ut vulgo vocant) ſine ullo judicio voluntatis meæ, ignarus iſtius conditionis; tantum abeſt, ut voluntarius venerim: Diſcedo etiam ex illa conditione (i. e. morior, ut vulgo vocant) rurſus ignarus, ſed & quod turpe eſt, invitus: ago in iſta conditione (i. e. vivo, ut vulgo vocant) nihil extra me agens; aut patior enim tantum à corpore, aut ago in illud (in his enim verſatur conditio humana) pati non eſt meum, agere non eſt meum: Etiamſi ſubinde fiant ad arbitrium voluntatis meæ, nunquam enim propriè fit, quia ego volo, ſed quia motor me volente vult, ut etiam me ſubinde volente non vult, ut in paralyſi & defatiga

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [46] - 36
PUBLIC DOMAIN

tigatione membrorum mihi constat. *Atque hic se pandit* excursus in Ethicam, hic est ostium fluminis moralis, sequitur enim ex his, cum nihil valeamus in humana sorte, nihil etiam ut velimus, adeoque ut hoc sit primum summum & generalissimum, quod omnem moralitatem complectitur, Ethices fundamentum, humanæ naturæ notissimum, *ubi nihil vales, ibi etiam nihil velis*, sed nos hoc ostium præternavigantes, veniamus ad secundam partem Metaphysices, in qua multa dilucidabuntur, quæ spectant ad primam, cum enim corpus pertineat ad humanam conditionem, illam nostram conditionem sine corporis, ejusque affectionum notitiâ non satis feliciter consequi possumus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [47] - 37
PUBLIC DOMAIN

PARS ALTERA
DE
CORPORE,
SEU
Σωματολογια.

Corpus est quid Extensum.

OMnes homines intelligunt extensionem pertinere ad essentiam Corporis, etiamsi enim vulgus naturam Corporis à sensu desumat, quem in nobis excitat, dum forte corpore nostro in aliud Corpus incurrimus, adeoque resistentiam illam palpamus, & tactu percipimus, tamen etiam agnoscunt in Corpore extensionem aliquam esse debere, eaque si caruerit non futurum palpabile, quomodo enim id palpari posset, quod nulla prorsus extensione, neque in longum, neque in latum, seu crassum præditum est, est igitur communis ea notio in corpore, extensionem aliquam esse debere, sed & extensionem illam primam esse in corpore, atque ante illam nihil in corpore, quod

ad

ad naturam ejus pertineat, cogitari posse, certissimum est: etiamsi enim Pythagoræi numerum esse velint ante extensionem, dicentes, extensionem non esse aliud, quam plurium inter se juxta positionem ita sc: ut plura, eorumque numerus sit ante extensionem ex illis conflatam; tamen, cum bene ad hoc attendimus, videbimus in illis pluribus, quæ in extenso juxta poni dicunt, etiam extensionem aliquam cogitare debuisse: impossibile enim est cogitare, *Duo vicina juxta se invicem ac inter se posita*, nisi utrumque extensum esse intelligatur: alioqui enim tangent se invicem, vel alterum alterum tanget quoad totum, ante nempe ac retrorsum, sursum deorsum, & ad latera, quod vero sic tangeretur ab alio, non ei vicinum aut juxta positum esset, sed penetratum.

Verum quidem est, in Extenso juxta positionem plurium esse (impossibile enim est Extensionem cogitare sine partibus) sed tamen Extensio prima est affectio in eo, quod Extensum est, cum ea, quæ juxta posita sunt in extenso, rursum Extensione aliqua contineri debeant.

Et licet hinc sequatur progressus in infinitum, tamen non est is absurdus, sed admittendus, ut infra patebit, & satis etiam bene consideranti patet ex his dictis, ante

ante Extensionem, nihil esse in corpore, quod ad ejus naturam pertineat, etiamsi enim Corpus palpabile sit, hoc posterius est, & ex natura ejus dimanat, tanquam necessaria quædam ejus proprietas, hinc ablata extensione, Corpus tolli, clarissimè intelligimus, sed & ea posita Corpus necessario poni, etiamsi vulgo non videatur, certissimum tamen nobis erit infra, ubi hanc proprietatem extensionis in medium protulerimus, Corpus manu tentari & palpari posse.

Ex quo jam satis patet, Corpus esse rem essentialiter simplicem, nam, si unicam ejus formam, seu unicum hoc, quo est, quod est, ab eo per mentem separaveris, nihil prorsus ejus supereſſe intelligis, nam extensione suâ Corpus est Corpus, hac ablata nihil supereſt in toto Corpore, secus atque contingit in lapide, à quo si abstuleris formam, qua lapis est, aliquid lapidis remanere intelligis.

Atque ex hoc ulterius sequitur, Corpus non tantum Extensum, sed ipsam etiam extensionem dici debere, imo hoc rectius dici quam illud: Cùm in Corpore nihil sit præter Extensionem, cum nihil habeat præter hanc, melius extensio, quam extensum dicitur.

Etiamsi vulgus interrogatum, quid sit Corpus? respondensque: *est quid palpabile*

rem

rem ipsam dicat (nam extensum & palpabile idem sunt re ipsa) & consequenter non tantopere erret in sua Physica, magnopere tamen in Logica, nam cum dicere deberet quid sit, non id dicunt, sed quid possit, (palpabile enim est illud, quod palpari potest). prius vero dicendum erat quid esset, ex quo deinceps, quid posset, aut quid non posset, deducendum erat.

Ex hoc errore Logico præcipitantur in gravissimos Errores Physicos vel Metaphysicos: quia enim naturam Corporis in palpabile collocant, quædam vero facilius palpabilia sint, & majorem incurrenti resistentiam præbeant (lapides, metalla & ligna) quædam vero difficilius palpentur (ut aër & fumus) hinc, illa magis, hæc minus corporea intelligunt. Hic vero Error nec hic sistitur: sed cogitantes, & velut aliquo naturali instinctu docti, vacuum seu hiatum in natura esse non posse: iis, quæ minus Corporea, quam alia quædam, esse censuerunt, superaddunt de spiritualitate tantum sc: quantum de Corporalitate detraxerunt, atque adeo confundunt naturam corporalem & spiritualem: nam satis illis spirituale est in posterum, quod tenue valde & subtile est, volentesque rem spiritualem considerare, tantum imaginationem adigunt, ut subtile aliquod &

te

tenue ac rarum repræsentet, sed manifestæ hæ sunt proprietates Corporis, non Spiritus; seu potius (quod sine ambiguitate vocabulum est) mentis.

PRIMA SCIENTIA.

Corpus minime potest esse ab æterno.

QUod primum in natura, debet omnia fecisse, quæ secunda sunt, jam autem hæc Corpus non potest fecisse, quod nesciat quomodo fiant, est enim res bruta, hinc non est primum in natura, id est ab æterno: tum etiam seipsum non fecit eandem ob rationem, ergo etiam ab alio factum est: jam Alius ille debet prior esse corpore, cum illud fecerit, & ipse à se sit, potest enim à se ipso esse, quod mens est, & scire potest, quomodo à se sit cum cogitet: Mentem autem esse patet, quod corpus non sit & præter mentem & corpus nihil sit.

Alia Demonstratio.

Id esse Ab æterno dico, quod est primum in natura, seu quod talis est naturæ, ut ante se nullam aliam supponat essentiam. Non mihi latet, veteres aliquos aliter hoc vocabulo usos, atque illis æternum dici omne id, quod natura prius est tempore, atque tali significatione, corpus illis ab æterno esse merito dicitur, sed est aliud quoddam esse ab æterno magis proprium, magisque apud nos hodie, qui Christiani

sumus

ſumus, intellectum: unde nec bene ſonat apud nos, cum veteribus dicere, corpus ab æterno eſſe, niſi diligenter ſignifices, & bene explices, qua id ſignificatione dicas: his igitur miſſis, quæ non multum ad rem præſentem pertinent: ſeu non multum ſpectant ad ſcientiam, quam hic intendimus, id dicemus *ab æterno* eſſe, quod eſt primum in natura, hoc vero manifeſte Corpori non competit, Corpus enim præter extenſionem & molem ſuam nihil habet, ut præcedenti §. ſatis vidimus: atque moles illa ſeu extenſio res bruta eſt, cogitationis atque cognitionis expers: evidentiſſimum enim eſt, longitudinem, latitudinem, craſſitiem, extenſionem & molem, qua talem nullam prorſus cogitationem innuere: nullam (ut Scholæ loquuntur) in conceptu ſuo cognitionem involvere. Cum corpus ergo res bruta ſit, ſequitur tamen neceſſario dictamina quædam, regulas & notiones mentis, V. gr. in infinitum diviſibile eſſe, penetrationem ſui non admittere, non replicationem &c. & uno verbo, quot ſunt corporis proprietates, tot ſunt canones à mente pendentes, atque proinde evidentiſſimum eſt, mentem aliquam præcedere in natura dictantem illas regulas, & jubentem efficaces eſſe, etiamſi enim neceſſario efficaces ſint, id tamen res illa

bruta,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [53] - 43
PUBLIC DOMAIN

bruta non præstat, sed hoc aliunde provenit nempe à mente, cum res illa bruta tantum agi possit, non agere.

SECUNDA SCIENTIA.

Corpus est ante me hominem.

EST enim quodammodo pars mea: sicut pileati, aut braccati pileus aut bracca quodammodo partes sunt, utpote sine quibus nunquam id essent, quod esse dicuntur, nempe pileati aut braccati, sic etiam corpus est pars hominis, utpote sine quo, nunquam mens aliqua homo diceretur: cum itaque quodammodo pars sit hominis, necessum est, ut homine prius sit, prius enim est *esse*, quam alterum *componere*.

Ex quo patet, Scholas vehementer errare, dum Corpus ponunt materiam hominis, & mentem ejus formam, contra fit, & mens quidem veluti materia in homine; velut forma vero Corpus ejus est, sicuti armati forma, non est homo, vel equus, sed arma, ille enim armis est hoc, quod esse dicitur, ast mente homo non est, quod esse dicitur, sed corpore certo modo se ad mentem illam habente, qui modus a nobis supra descriptus est, homo enim non est aliud quam incorporatus,

cujus

cujus ſine dubio forma corpus eſt, nam corpore incorporatus id eſt, quod eſſe dicitur.

TERTIA SCIENTIA.

Corpus qua qua verſus in infinitum extenditur.

EXtenſio cum nullum finem dicat, ergo nec nos, ullum ei finem dicere debemus, ſicut enim numerus nunquam ſumetur tantus, quin additione unitatis, imo duplo, triplo ipſo augeri poſſit, & ſine fine, ſic etiam nunquam extenſio ſumetur tanta, ut non extra eam extenſio aliqua conſiſtat, quæ ei conjungi poſſit, imo de facto & neceſſario conjungatur. Si quando enim ſumta fuiſſet extenſio tanta, ut extra eam nulla conſiſteret alia, intra finem ejus aliquid, extra illum nihil foret. Hoc vero fieri non poteſt, ut *intra* ſit ſine *extra*, non magis, quam ut *ſupra* ſit ſine *infra*, pater ſine filio, & generatim relatum ſine correlato: nam quod intra eſt, intra aliquod ſit, neceſſe eſt, utique intra illud, quod extra eſt.

Dices. Sume univerſam extenſionem, extra illam certè nihil eſt.

Reſp. Impoſſibile jubetur: tota capi non poteſt, nam de ratione infiniti eſt, ut quicquid ejus ceperis, nunquam ipſum capies

pies, ſed ſemper quamplurimum ejus ſit extra captum ejus, ut olim etiam Ariſtoteles definivit: unde infinitum etiam non propriè, ſed analogicè ad ſummum totum eſt: totum enim non eſt, niſi cum omne ejus, quicquid eſt, complexus fueris, at infinitum complecteris nunquam, de ratione ejus eſt, ut comprehendi à te non poſſit.

Dices. etiamſi extenſionem infinitam eſſe ſupponas, tamen *intra* erit ſine *extra*, nam intra illam lapides, ligna & noſtra corpora, extra eam *nihil*: nam extra infinitum nihil eſſe poteſt.

Reſp. Sicut extenſio non habet *extra*, ita & non habet *intra*: impoſſibile enim eſt, ut alterum hoc ſine altero ſit, ideo autem videtur intra extenſionem aliquid eſſe, quia eſt intra partes ejus (ut corpora noſtra ſunt intra hoc conclave, quod eſt pars extenſionis) ſequi hinc videtur: eſt intra partem, ergo eſt intra totum. (eſt intra conclave ergo intra domum) ſed meminiſſe oportet, extenſionem non eſſe totum propriè loquendo, ut jam ſtatim demonſtrabimus, unde argumentum manifeſte concidit.

Quod ut melius intelligas, nota intra rem aliquam dici non poſſe. V. g. A. non poſſe dici eſſe intra B. niſi mens ultimam ſuperficiem, ſeu peripheriam ipſius B. attingat: ſi enim tantum proximam ſuperficiem, quâ A. ambitur aut exterio-

rem

rem quidem aliquam, nondum tamen extimam ſuperficiem ipſius B. attigerit. A quidem intra partem aliquam ipſius B. nondum vero intra ipſum B. eſſe perfecte intelligitur. Sic etiam quamdiu conſideramus tantum hoſce parietes, pavimentum hoc, & tabulatum, tamdiu quidem clare intelligimus corpora noſtra eſſe intra hoc conclave, intra vero domum hanc eſſe non intelligimus, niſi mente attingamus ſummum tectum, imum pavimentum & reliquam hujus domus peripheriam. Quod adeo verum eſt, ut ſcire poſſimus hæc corpora eſſe intra hoc conclave, dubitantes nihilominus, an intra hanc domum ſint. Ex quo clare patet, intra rem nihil dici eſſe, niſi ultimum iſtius rei ſuppoſitum ſit: ultimum vero extenſionis impoſſibile eſt, utpote quæ infinita ſit. Ex quo etiam vides, quod hæc argumenta, quæ contra infinitatem extenſionis adhibentur, ſupponant finitatem extenſionis, quæ tamen probanda erat, non ſupponenda, inde autem præjudicium illud, quo homines ſibi perſuaſum habent, *intra* poſſe eſſe ſine *extra*, emanaſſe videtur, quod aërem pro nihilo ducant; mirum enim eſt, omnibus hominibus, *ante*, ſine *retro*, *ſupra*, *ſine*, *infra*, &c. ſimimulatque dictum fuerit, abſonum & enorme videri, non perinde

autem

autem, si dictum fuerit, *intra* sine *extra* absurdum & impossibile videtur: hinc autem fit, ut cogitet intra terram, i. e. intra ædes & civitates nostras, aliquid, extra vero in ambitu illo aëris, qui proxime hanc nostram habitationem circumdat, nihil esse; ducentes nempe, ut alii frequentissime dicunt, aërem pro nihilo.

QUARTA SCIENTIA.

Vacuum est impossibile.

CLarissime hæc sequitur ex tertia. Corpus est quaqua versus in infinitum extensum, & quidem necessario, cum existit, sic extensum est, ut omnem locum vacuo adimat, nullum vacuo relinquat locum, & sicubi vacuum esset, *idem* inconveniens oriretur, quod posito corpore finito, oriretur: nempe *intra* sine *extra*, nam intra limitem illum, qui ad vacuum terminaretur, esset aliquid, esset aliqua extensio, seu aliquod corpus; extra sphæram illam, quam vacuum attingit proxime, nihil foret.

Dices: Deus potest auferre omne corpus ex hoc conclavi, non enim apparet, cur unum minus posset excludere, quam alterum.

Respondetur potest sane, sed eo casu neces-

neceſſario deſtrueret conclave, & adverſos parietes, pavimentum & tabulatum, omnia inter ſe committeret.

Dices. Omne corpus expellat Deus, & ſimul tamen figuram hujus conclavis ſervet.

Reſpondetur, hoc fieri non poſſe, ſtante enim illa figura, neceſſe eſt adverſos parietes inter ſe diſtare: hæc vero diſtantia corpus eſt, utpote quæ re ipſâ nihil differat ab extenſione: & hanc ipſam diſtantiam neceſſario palpabilem eſſe, adeoque corpus ex vulgi ſententia dici debere, infra clariſſime patebit;

Dices. Ante corpus conditum erat vacuum.

Reſp. non eſt *ante* temporis ante corpus conditum, ſed eſt *ante* naturæ.

At tale *ante* non excludit vacuum, nam prius natura eſt, latera follis aperire, quam aërem externum in follem trahere: in iſto ergo priori naturâ vacuum eſt intra latera follis, ſed hoc nihil ad rem facit, quia ſaltem nullo momento illud vacuum inter latera follis eſſe poteſt; deinde vacuum non eſt corpus eſt enim non Corpus cum ſpatio, ſeu ſpatium, in quo nullum ſit Corpus, ſpatium omni corpore deſtitutum, tale autem ſpatium non

erat ante corpus conditum, quia ſpatium ipſum corpus eſt, utpote extenſum, ut jam patebit.

QUINTA SCIENTIA.

Spatium eſt Corpus.

ET quidem perfectius Corpus, quam illa, quæ paſſim corpora vocantur, ut lapides, ligna, ſol: hæc enim non ſunt tam proprie corpora, ſed ut infra videbimus, corpora cum certo motu: proinde, materia eorum eſt corpus, vel pars corporis, illa vero non proprie corpora ſunt, ſed tantum corporea, ut hæc menſa non tam proprie lignum eſt, quam lignea.

Ratio autem clara eſt, quia ſpatium, eſt extenſum, & impoſſibile eſt, ſpatium, vel partem ſpatii interjectam inter aliqua cogitare, quin intervallum, diſtantiam, longitudinem aliquam cogites, hæc vero eadem prorſus ſunt cum corpore, ex quo jam etiam clare patet, quod ante aliter demonſtratum eſt, & corpus qua qua verſus in infinitum extendi, & vacuum eſſe non poſſe. Spatium in infinitum qua qua verſus extenditur, id eſt communis notio omnium hominum, & nullus huc uſque, quantum reſcire

reſcire poſſumus, inventus eſt, qui finem aliquando ſpatio dixerit, omnes fatentur id infinitum eſſe, & qua qua verſus in infinitum extendi. Etiamſi in ſcholis diſputent, utrum ens ſit, an nihil, imo jam dudum non diſputent, ſed unanimiter pro nihilo habeant, in quo dogmate dici non poteſt, quam deridiculo ſint, fatentur omnes longum eſſe (& fateri debent) & tamen volunt eſſe nihil; At vero non minus longum nihil, quam album, aut quadratum nihil eſt; hoc igitur conſtat & lumine naturâ notiſſimum eſt, nihil nihil habet (igitur quod longitudinem habet, cum hoc ſit aliquid habere, non nihil erit ſed aliquid) ſed notari debet Scholas plura ad nihilum reducere, quæ tamen non nihil ſunt, ut tenebras & umbram, friguſque: aſſueti ſunt dicere hæc nihil eſſe, quæ clariſſime ſcimus aliquid eſſe, non itaque eſt mirum, ſi ſimilibus nihilis (ſic me loqui jubent) etiam ſpatium annumerent.

Similiter etiam contradicens convincatur, vacuum eſſe impoſſibile, cum enim ſpatium ubique ſit, & ſpatium ſit corpus, nullum jam erit ſpatium ſine corpore (quod tamen ad vacui naturam requiritur) quia idem eſſet ſine ſe ipſo, corpus ſine corpore, quod vel graviſſimum abſurdum eſt.

Sed dices; corpora ſunt in ſpatio, & in eodem ſpatio ſucceſſive diverſa ſunt Corpora, corpora in corporibus eſſe non poſſunt: item corpora moventur, aut moveri poſſunt, ſpatium vero ſecundum ſe eſt prorſus immobile, hæc videntur eſſe communes notiones, quas de ſpatio habemus, igitur dicendum videtur ſpatium à corpore magnopere differre.

Reſp. Corpora ſunt in ſpatio formaliter, ſeu ſecundum ſuam formam, quæ eſt motus: lapis enim lignum &c. quæ corpora particularia vulgo cenſentur, differunt tantum per diverſos modos (tota enim illa diverſitas, quæ ſenſum tam variè afficit cum circa lignum, aërem, lapidem, tactu, viſu aliove ſenſu verſamur, ad diverſos motus referenda eſt, quo particulæ iſtorum corporum, vel corpuſcula in poris eorum exiſtentia moventur; motus vero eſt in corpore, adeoque & in ſpatio, tanquam modus in ſuo modificato, adeo ut formaliter loquendo, lapis, lignum, aër, &c. ſint modi quidam corporis, qui proinde non ineptè in corpore eſſe dicuntur.

Hæc reſponſio, quamvis nonnihil dicat, non tamen videtur difficultatem objectionis ſatis elevare: nam particularia illa corpora, lapis, lignum, &c. non tantum dicuntur eſſe in ſpatio penes formam ſuam,

ſed

sed etiam penes materiam seu molem suam, nam & ipsa illorum corporum materia seu moles in spatio esse dicitur, subinde de uno spatio in aliud transferri, melius ergo videtur spatium illud explicasse Cartesius, qui dixit nos in spatio debere considerare extensionem genericam, cum in particularibus corporibus magis specialem extensionem considerare solemus. Itaque spatium V.gr. hujus conclavis solemus accipere pro extensione aliqua generali, tanta dimensione in longum, latum & profundum, talique figura circumscriptum, non æstimantes interim, seu consideratione nostra cludentes, sitne illa extensio aëris, ligni, lapidis, sicut ergo, si hora prima in hoc conclavi bos sit, hora secunda bove exeunte mus, & ita porro, rectè diceretur toto die fuisse quadrupes in hoc conclavi, etiamsi singulis horis aliud atque aliud fuerit & non idem: sic etiam spatium hujus conclavis idem esse videtur, quoad genericam istam considerationem, etiamsi modo aëris, modo ligni &c. extensio illa sit, atque sicut in similitudine allegata cum quadrupes toto die est in conclavi, rectè dicimus, de isto quadrupede generali, quod toto die versatur in hoc conclavi, hora prima quidem esse bovem, secunda murem; sic non inepte dicimus particularia corpo-

ra aërem, ligna ſucceſſive eſſe in hoc ſpatio, imo ipſum ſpatium.

Sed dices: quid opus eſt tam anxie phraſim explicare, quam equidem certum eſt ex vulgi errore eſſe natam; vulgus enim exiſtimat ſpatium eſſe qua qua verſus in infinitum extenſum (& hactenus non errat) immobile ſecundum omnes partes, quod penetrabile in ſe recipiat corpus quodlibet particulare, ideoque corpus aliquod in hoc vel illo ſpatio eſſe, non eſt aliud juxta vulgi mentem, quam corpus penetrare hoc vel illud ſpatium, atque duas illas extenſiones ſpatii atque corporis intra ſe mutuo eſſe, corpus vero aliquod moveri, juxta vulgum non eſt aliud, quam ſpatium quod penetrarat, quodque immobile confictum erat, ibidemque & ſemper & neceſſario permanens, deſerere, & in aliam partem ſpatii ſimili penetratione ſe intrudere, quæ omnia ſunt abſurda, nam infra demonſtrabitur, nec extenſionem ab extenſione penetrari poſſe, & partem quamque mobilem eſſe neceſſario.

Reſp. Hæc vera ſunt, & infra clarius patebit, vulgum & vulgares Philoſophos per illud ſpatium, cui affectiones illas penetrationem illam, & immobilitatem ſecundum omnes partes affinxerunt totam rationem motus definire, ſed nobis phra-

phraseologia in bonam partem ita fuit interpretenda, eo quod illa, utpote commoda, aliquando nos ipsi utamur: cavendum igitur nobis fuit, ne phrasis tam usitata & vulgata male intelligatur: ostensum igitur est, quo pacto spatium sit corpus, etiamsi illud soleamus immobile dicere & particularia corpora in se recipere, & refusum hoc in generalem considerationem: sicut simili consideratione ajunt, species rerum esse immortales, etiamsi singula individua intereant, quia nempe semper servantur in aliquo suo individuo, non eodem quidem, sed alio atque alio, quæ individua etiam in specie successive esse dicuntur: idem volumus intellectum de corporibus particularibus, & spatio, cave enim aliquid aliud hic intelligas cum vulgo, quod hic in eum incidit errorem, qui totam Philosophiam circa corpora versantem, corrupit, & totam Physicam de manibus excussit, & pro ea aliquot nugas Logicas obtrusit.

SEXTA SCIENTIA.

Corpus est divisibile.

HOC intelligendum est de corpore particulari, nam [2] *de corpore generaliter*

1 *De corpore*, &c.] Abusivum est illud: cum *corpus*

liter *sumto* intelligi nequaquam potest; si enim corpus ut sic, divideretur, non nisi interjecto vacuo divideretur; atqui vacuum est impossibile, ergo & Corporis generatim sumpti divisio impossibilis est.

Dices. Quid obstat, corpus dividi, interjeobrepit. Satis enim est recte illa intelligere. Sic antipodes non sunt sub nobis (quia sic deberent esse propiores centro terræ in eadem parte, in qua nos sumus) sed debemus tamen sic loqui: item *solem oriri*, &c. Corpora particularia possunt dividi, non corpus ipsum, sic mentes particulares possunt esse miseræ, non ipsa mens, sumus enim modi mentis, ut corpora particularia sunt modi corporis. Nos non sumus mentes (tunc enim essemus Deus) sed mentes certomodo nos habentes, limitatæ, nempe ad aliam mentem, quemadmodum omnis modus ad alium modum terminatur: E. G. motus ad quietem: modus autem non pertinet ad rem ipsam, ut motus non pertinet ad corpus, sumus igitur modi mentis, si auferas modum, remanet ipse Deus.

corpus universale, corpus generale, corpus universum, universim sumptum, totum corpus totumque spatium, & his similia dicimus: corpus enim (ut hoc §. & in Peripat: Metaphysica §. 2. §. 8. ubi de universali & singulari, latius patebit) est individuum singulare, nequaquam à particularibus corporibus abstractum: sed hæc potius abstracta sunt ab illo (sicut superficies, a particularibus corporibus - a superficie linea, a linea denique punctum abstrahitur) similiter corpus non est totum, nec partes essentiales nec integrales habet, ut infra docebimus, dandum igitur est aliquid, dum his nominibus utimur, communi modo loquendi & considerandi hominum & vitiosis nominibus uti licet, imo his sæpe uti cogimur, modo caveamus nobis ab errore illo, qui incautos

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [66] - 56
PUBLIC DOMAIN

terjecta in ipso divisionis momento tertia quadam parte inter duas ejus partes à se invicem secedentes.

Resp. Nil vetat: sed hoc non est ipsum corpus dividere, sed tantum partem aliquam corporis, sic aqua fluminis non dividitur, cum duæ ejus partes pedales à se invicem recedunt, interjecta tertia ejus fluminis portione, eodem puncto temporis, quo partes illæ pedales inter se recedunt, non hoc est flumen dividere, sed partem bipedalem fluminis, ipso interim flumine secundum diversas ejus partes circum gyrante.

Dices: ergo corpus est indivisibile, ergo res simplex non tantum essentialiter consideratum, quod in principio hujus partis demonstratum, sed etiam integraliter.

Resp. Ita est: Corpus ipsum, quod quaqua versus in infinitum extensum, simplex quædam & indefinita res est: nil ejus est, sive quod ad essentiam, sive quod ad integritatem pertineat, quod sine altero ejusdem vel esse, vel cogitari posset, si e-

1 *Ut vocatur*] Non est enim proprie pars, sicut ipsum corpus non est vere totum aliquid: totum enim est plura simul sumpta, quale quid non est corpus: nam particularia corpora non ponunt corpus, atque adeoipso priora non sunt, ut vulgo putant, sed supponunt ipsum & tantum per abstractionem & præcisionem mentis ex eo præscinduntur.

nim tibi ex corpore illo ſumas partem aliquam [1] *ut vocatur* V. G. bipedalem, illa nec eſſe, nec cogitari poteſt, ſine reliqua extenſione in infinitum quaqua verſus procurrente: non poteſt enim hæc pars cogitari ſine termino, quo concludatur, terminus vero ille ſine eo, quod excludit, cogitari non poteſt: illud vero, quod excluſum eſt, vel in infinitum deinceps procurrit (& ſic habemus, quod intendimus) vel alicubi terminabitur, & de illo termino [1] *eadem recurret quæſtio in infinitum*, ex quo patet incidenter, poſito tantillo vacuo V. G. quod pugno comprehendi poteſt, totam naturam corpoream deſtructum iri, impoſſibile enim eſt tolli aliquid è corpore (quod faciendum, ſi velis ut vacuo locus ſit) quin hocipſo tollatur totum, quia ſimplex eſt.

Dices poteſt Deus partem aliquam V. G.

1 *Eadem recurret*, &c.] Vis argumenti in eo eſt, quando A & B ſic ſe habent, ut nec A ſine B, nec B ſine A eſſe cogitari poſſit, tunc A & B realiter eadem ſunt: atqui ſic comparatum cum quocunque (quocunque quoad conſiderationem alio,) quod ex eodem corpore ſumpſeris, inferunt enim ſe mutuo per neceſſariam conſequentiam, ut hic in textu demonſtratur: ſicut igitur acclive & declive ideo realiter eadem eſſe cognoſcuntur, quia ſe mutuo neceſſario inferunt: ſic etiam quælibet pars corporis, cum alia qualibet ejus parte realiter eadem eſſe intelligitur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [68] - 58
PUBLIC DOMAIN

V. G. pedalem in ſpatio, ſeu in corpore deſtruere, & annihilare, non dico, relinquendo loco ejus vacuum, hoc impoſſibile eſſe, ſatis demonſtratum eſt, ſed loco ejus ponendo aliquam aliam partem corporis, quæ locum ilum præciſe impleat, quam partem de novo per creationem ex nihilo producat.

Reſp. Annihilationem illam Scholaſticam, nec ratione nec verbo Dei ſubnixam eſſe multorum ſegetem errorum in religione, Deo-que non eſſe tribuendam, ut illi tribuendam putant, parte tertia demonſtrabinus, certe hoc ipſo, quo Deus aliquid auferret de corpore, totum auferret, cum ſimplex eſſe demonſtratum eſt. Itaque cum corpus non ſit diviſibile, particularia tamen omnia corpora diviſibilia ſunt: tantum difficultas eſt, quo pacto corpora particularia habeantur, quandoquidem omnia, unum ſimplex individuumque corpus ſit, quæ in corpore reperiuntur.

Reſp. Particularia corpora habentur per determinationem mentis ſeu abſtractionem & præciſionem, ſicut & linea & ſuperficies, & puncta tali aliqua abſtractione proveniunt: longum eſſe non poteſt, niſi idem & latum ſit, longum tamen a lato, mente præſcindimus, & longum ſic præciſum linea dicitur, *ut magis patebit ex ſequentibus, ſic etiam hoc atque*

illud corpus, ſive hæc vel illa pars corporis in corpore deſignatur per abſtractionem & præciſionem, cum in ipſo corpore ſic abſtracta & præciſa non inveniatur.

Dices, inde ſequitur, Particularia corpora tantum eſſe entia rationis, ut Scholæ ajunt, & ſecundum ſe non exiſtere in rerum natura.

Reſp. Non ſequitur, nam veriſſimum eſt illud, quod Scholæ ex Ariſtotele hauſerunt, licet plerique dictum illud non intelligant: *Abſtrahentium non eſt mendacium*, ſeu qui abſtrahunt non fingunt, non mentiuntur: veluti cum ulnam ſervire dicimus ad metiendum pannum, non mentimur, cum tamen longitudinem iſtius inſtrumenti a latitudine abſtraximus, longitudo enim ejus ad metiendum facit, latitudo autem ad rem illam non pertinet, atqui infra clariſſime patebit, longitudo & latitudo ejus rei quod idem ſint a parte rei: res enim, quam abſtrahunt, revera eſt, etiamſi non ſub illo abſtractionis ſtatu ſit,

Dices iterum, ſi corpus univerſum una ſit eademque res, ergo hæc pars eadem eſt cum illa parte, ergo ſi hoc dividatur, quælibet dividitur.

Reſp. Hanc conſequentiam non valere; poteſt enim aliquid uni eorum, quæ abſtracta ſunt, convenire alteri non:

ut

ut longitudo ulnæ ad pannum metiendum facit, latitudo non item & ut (in exemplo ab omnibus admittendo) acclive seu arduum in mœnibus adversus hostes civitates obsidentes facit, declive seu devexum nihil ad hoc: acclive in natura rerum, & declive una eademque res est, & tantum possunt mentis abstractione distingui: sic convexum & concavum se habent, cavum aptum est, ut te occulas, huc nihil convexum facit, sed potius ut te manifestes, & tamen unum atque idem & hinc cavum & illinc convexum est, nec possunt illæ nisi mentis præcisione separari, itaque divisio tantum quadrat, & locum habet in iis partibus, quæ per mentem a corpore separatæ sunt, quibusque, ope mentis finis aliquis circumscriptus est, quælibet enim partium sic abstractarum dividi potest bifariam, nulla tertia parte illius totius, quod dividebatur, in rimam divisionis incidente, sed tantum parte aliqua divisi alterius corporis, eodem modo per mentem determinati.

Peres ergo, cur existiment homines sane omnes, præter eos, qui hic rigidissime Philosophantur, partes corporis inter se invicem realiter distinctas esse.

Resp. Quia vident, & sensu observant, corporea illa, quæ ipsi passim corpora vo-

cant, lapides, ligna, ſic ſe habere, alterum eorum ſupereſſe, alterum interire, videtur. V. G. lignum comburi lapide ſuperſtite, hanc vero mutationem non ſatis obſervant, neque notant ſatis accurate, illam non ad materiam ſeu ad molem corpoream referendam, ſed tantum ad modum iſtum, quo ſenſus afficitur, nimirum, ligno combuſto ſenſus non ſatis afficitur, ut ante a ligno iſto affici ſolebat; licet totum, quoad molem, materiam, & corpus ejus pertinet, neceſſario remanſerit.

SEPTIMA SCIENTIA.

Corpus habet tres dimenſiones.

HOc intelligendum eſt de corpore particulari: nam Corpus ipſum cum infinitum ſit, nullam admittit dimenſionem, quando quidem dimenſio neceſſario ſupponat finem in eo, quod dimenſio illa metitur, dimenſio eſt una trium rectarum linearum, quæ in centro corporis ſe interſecant ad angulos rectos, & inde ulterius producuntur ad peripheriam corporis. Cum circulus omnis habeat 360. gradus, id eſt, totidem partes æquales. recto quidem angulo 90. gradus ſubtenduntur, pauciores acuto, plures obtuſo,

tuſo, unde magnitudo angulorum gradibus, angulis illis ſubtenſis æſtimari ſolet, ita ut angulus 50 graduum acutus, acutior vero 40. vel 30. graduum, & ita porro: itaque angulus rectus eſt, cui quadrans circuli ſubtenditur, ſi minor portio circuli ei ſubtendatur, acutus dicitur, ſi major, obtuſus, cum igitur tres lineæ rectæ in eodem puncto ſecare ſe tantum poſſint ad angulos rectos, conficitur etiam tres tantum dimenſiones eſſe poſſe, quarum quidem illa, quæ eſt minime negative (id eſt, qua nulla alia e duabus reliquis major eſt) longitudo vocatur in quocunque corpore particulari, illa quæ maxime negative (id eſt, reliquis minor) craſſities vocatur, altitudo vel profunditas: quæ autem inter haſce interjecta eſt dimenſio, nec duas alias in magnitudine ſuperat, nec ſuperatur ab iis, latitudo dicitur, ex quo patet, cum tres illæ dimenſiones æquales ſunt, in aliquo corpore particulari ut in globo contingit, quamlibet earum indifferenter longitudinem, latitudinem, & craſſitiem eſſe, cum vero duæ ſunt æquales, tertia minor, ut in lapide molari eſt, quamlibet iſtarum duarum indifferenter & longitudinem eſſe, & latitudinem, tertia vero, quæ mimina eſt, craſſitiem eſſe, tandem cum duæ dimenſiones

ſint

sint æquales tertia major, ut fit in columna, quamlibet istarum duarum indifferenter, & latitudinem & crassitiem esse, tertiam vero longitudinem esse. Denique cum omnes tres dimensiones inter se inæquales sunt (ut fit in assere oblongo) promptissimum est, singulas suis nominibus indigitare, nam quæ duabus reliquis major longitudo dicitur, quæ una tantum major & altera minor est latitudo, & denique minima crassities dicitur. Nota vero ad determinandum dimensiones in corpore particulari, angulorum in circumferentia, qui forte reperiuntur, non esse habendam rationem, unde in quadrato diameter, quæ inter duos angelos oppositos duobus diversis lateribus contentos per centrum ducitur, ipsius quadrati dimensio esse non censetur, sed linea recta, quæ a costa ad oppositam costam per centrum recta ducitur, ipsius quadrati dimensio esse censetur: igitur particulare corpus quod cumque tres istas dimensiones habet, longum, inquam, latum, & profundum, nec plures in ipsam dimensiones quadrare possent, eo quod impossibile sit, plures in eodem puncto ad angulos rectos secare se tribus lineis rectis, longitudo seu longum, infert *ante* & *retro*, in longo enim quid ante, quid deinceps esse, necesse sit: latum infert latera, quorum alterum dextrum, alterum sinistrum dici-

tur,

tur, quæ nomenclatura desumitur ex comparatione nostri corporis. Crassum infert *supra & infra*, *Crassum enim cum suspicis*, idem est, cum despicis: etiam altum cum suspicis, hinc mare vectori profundum, urinatori altum; & Israëlitis, dum illud sicco pede pertranseunt, & ad latus adspiciunt, crassum; ita ut consideratione tantum inter se differant illa: hic excursus patet in Geometriam, hujus namque est de *dimensionibus* earumque proprietatibus diffuse dicere: hoc ostium etiam prætervigantes, conferamus nos ad ulteriores Metaphysicæ Scientias.

OCTAVA SCIENTIA.

Corporum dimensiones inter se realiter non differunt.

INferunt enim se mutuo necessaria sequela, nam quod longum est, hoc & latum esse debet (si quid enim foret longum nec tamen latum, dextrum ei & sinistrum ibidem forent, seu ubi esset dextrum ibi & esset sinistrum, quod est impossibile) similiter etiam latum esse non potest, nisi & longum sit, quod in confesso est apud omnes, admittiturque tanquam principium & communis notio, nec immerito, cum cogitare nullo modo possimus aliquid latum, quin id ipsum longum esse videamus aliquomodo antequam latum esse

esse intelligamus: similiter latum esse non potest, nisi & idem sit crassum (si quid enim foret latum, nec foret crassum *supra* ei atque *infra* idem forent, [1] quod est impossibile,

1 *Quod est impossibile*] Per se quidem hoc evidens esse videtur. Sed si quis negaverit, ita conabimur eum ad sanitatem reducere: si dextrum & sinistrum ab eodem sint, igitur quod a dextris hoc & a sinistris erit quo nihil absurdius esse potest) nam à dextris esse non certum aliquod subjectum, sed certum fundamentum, certumque terminum dicit (nam & arbores, domus, homines à dextra nobis sunt) si igitur utrumque illud latus, dextrum inquam & sinistrum, idem sit in re aliqua, puta in A: erit ergo B. a dextris forte tribus inde passibus positum, etiam à sinistris ipsius A: nam terminus dexteritatis, & sinisteritatis, hic idem est, nempe A. subjectum (quod tamen non requirebatur ut ostendimus) etiam idem est, nempe B. tandem fundamentum, scilicet tribus passibus distare ab A. etiam idem est: quæ ergo diversitas hic vel cogitari potest inter sinistrum & dextrum ad ipsum A? nam subjectis, terminis, atque fundamentis iisdem nil reliquum est, quo relationes ipsas inter se distinguam.

De ratione autem crassitiei est, ut sit ultima dimensio (ut patet ex ejus definitione, præcedenti Scientia allegata) ergo supponit duas priores: seu quod crassum est, latum atque longum esse debet: similiter cum latum sit essentialiter secunda dimensio (quod itidem ex præcedenti scientia patet) necessario præsupponit priorem se dimensionem, nempe longitudinem; nec populus ipse solet unquam hac de re ambigere, sed quod crassum esse dixerunt, id hoc

possibile, si vero *supra* ei alibi, & alibi ei infra sit, necessum est, ut crassum esse intelligas, similiter & si quid crassum sit, idem quodammodo, antequam crassum, latum esse intelligimus, sunt ergo prorsus una eademque res, longitudo, latitudo atque crassities corporum.

Quid ergo de lineis, punctis & superficiebus censemus Resp. Per abstractionem, seu præcisionem mentis illa abradimus, seu præscindimus ex corporibus particularibus, sicut ipsa corpora particularia præscindimus ex corpore simpliciter dicto: superficies enim non est aliud, quam latum qua sic, latum admittimus in consideratione, crassum vero a consideratione nostra secludimus: unde

pagina

hoc ipso longum esse confitentur, sed in retrogrado ordine, cum quod longum, etiam latum, etiam crassum esse sustinemus: tunc populum non habemus obsequentem.

Ex eo quod dimensiones sic realiter eædem sunt, sequitur rursus simplicitas corporis universalis (ut vocatur) cum enim non possim cogitare determinatam quamcunque a mente longitudinem, quin dextram ei ac sinistrum adesse intelligam, hoc rursum dextrum longum etiam quum sit, licet haut pariis longitudinis cum prius sumta longitudine, rursum ei dextrum ac siniſtrum adesse intelligo: & huic dextro rursum, & sic sine fine: claie video, non unam dimensionem posse me cogitare in corpore aliquo particulari, quin hoc ipso totum corpus cogitaverim, seu corpus universe sumtum.

pagina est superficies, non quod lata quidem sit, crassitudinis autem expers, ut quidem nimis temere loquuntur, nam hoc impossibile esse satis demonstratum est, sed quod in pagina quidem longitudo atque latitudo veniant in considerationem, crassities neutiquam, dico in *considerationem*, non autem in *cogitationem*, nam fieri nequit, ut in cogitationem veniant longitudo & latitudo, non veniente in eandem cogitationem crassitie, nihil enim horum sine altero cogitari potest, ut ex præcedenti discursu manifestum est: Si vero petas, in quo cogitatio atque consideratio differant? respondeo, id dici non debere; sunt enim actus, operationesque mentis nostræ, quorum nobis per conscientiam intimam cognitio ac sensus est, sicuti non debemus dicere, sed sentire in nobis, in quo differant fames, & sitis auditus, & visus, &c. nisi forte per exemplum, [1] *per inculcationem repetitionemque*

1 *Per inculcationem*, &c.] Per talem inculcationem & repetitionem fit, ut mens tandem attendat ad ideam istius rei, quæ inculcatur. Et in hoc consistit ars oratoria, quia nempe vulgi animus valde est inconstans & lubricus, qui facile ex una cogitatione in aliam devolvitur; hinc Oratores valde amplificant illam rem quam proponunt, tunc enim populus, qui putat se semper nova audire, semper tamen idem audit, & tum fit, ut mens illius tandem ad illam rem

que factam sub synonymis ejus significationis vocabulis: sic V. G. dicemus considerationem esse æstimationem, qua unum subinde æstimamus, non æstimando alterum, licet interim hoc sine illo cogitare non possimus, ut in ulna longitudo æstimatur, & latitudo non admittitur in considerationem, ut supra.

Linea vero est longum qua sic, id est, consideramus longitudinum; latum, atque crassum ex consideratione secludimus, ut ulna, punctum vero est *ante*, qua sic, in *linea*, id est, *ante* consideramus in linea, retro non admittimus in considerationem: unde punctum dividitur apud Aristotelem in punctum inchoans, terminans, & uniens, sed hæc iterum considera-

rem attendat: & sic imprimit orator mentibus illorum id quod proponebat, atque ita *persuadet*, quod est finis oratoris

Habemus hic in Metaphysica nostra multas subtilitates & veritates, quæ non inserviunt ulli alii disciplinæ intelligendæ, sed hoc non refert: Metaphysica enim propter se ipsam (ut ipse Aristoteles docuit) addiscitur, non propter alias Scientias, & in illa debemus veritatem sectari in summo rigore, quæ quando inventa est, maxime nos delectat.

Aristoteles vocat, *ante* id ubi incipit sensus; satis bene. unde in nobis *ante* & retro non possunt esse unum & idem propter denominationem scil. illam, quam dar Aristoteles. Sic *dextrum* vocat, ubi incipit motus: *sinistrum*, ubi ille cessat, & *supra* ubi incipit crescere: *infra*, ubi incipit decrescere.

deratione tantum differunt : nam punctum quod inchoat lineam, eandem finit, si linea ab opposita parte inchoetur, itemque uniens seu medians, quod nempe unam partem lineæ finit, alteram inchoat, non differt a præcedentibus, nisi consideratione, cum ipsa pars lineæ quæcunque & quantilla sumta fuerit, semper etiam linea sit, ut patebit ex iis, quæ sequenti §. demonstrabuntur, [1] *sicut ergo corpus particulare*

1 *Sicut ergo corpus particulare*] Nota, voces aliquas esse, quæ significant res ut sunt in se, independenter a mentis nostræ operatione: inter tales est ista vox *corpus*: significat enim illam rem, illam extensionem, quam corpus vocamus, ut in se res illa est, seclusis modis cogitationum nostrarum, quibus circa rem illam versamur. Sunt vero etiam voces quam plurimæ, quæ significant rem non simpliciter, sed ut substantem modis nostrarum cogitationum, quibus, dum circa illam versamur afficimur: idque aliquando per potentiam, ut cum bonum, quid, aut malum, sapidum aut insipidum, fragrans aut fœtens, similiaque ad sensus & passiones nostras pertinentia effamur: hæc enim talia sunt non in se, sed nos dum iis utimur hoc aut illo modo afficiunt, aliquando per actum, ut cum lineam dicimus, superficiem, puncta, & particularia corpora: hæc enim talia sunt, non in se, sed ratione certi modi cogitationis nostræ, quem præcisionem & abstractionem vocamus, quo de facto seu actualiter rem aliquam certam arripiamus, seu apprehendamus: nam si rem illam, quam lineam esse dixisti, non præcise ut

ea

cularе per abſtractionem mentis ſumitur a corpore ſimpliciter dicto, ſic ulterius a corpore particulariter dicto, per abſtractionem (mentis) ſuperficies, & a ſuperficie per abſtractionem linea, & a linea punctum per abſtractionem ſumtum eſt; a puncto autem ſimili abſtrahendi modo nihil amplius abſtrahi poteſt: Igitur Mathematici cum ex fluxu puncti lineam, e fluxu lineæ ſuperficiei corpus exoriri ſtatuunt, retrogradi ſunt: primum enim corpus eſt (nempe inter res brutas) inde nos mente præſcindimus particulare corpus, ſicut jam ſtatim dictum eſt: non tamen eſt hoc Mathematicorum commentum inconveniens, ſicut nec Ludimagiſtrorum, qui abſtractas è ſyllabis vocales atque conſonantes primum pueris proponunt. Nota vero, quod & antehac diximus

ea voce ſignificatur, ſed ut in ſe eſt, conſideres: videbis quidem longam eſſe, ſed hoc ipſo etiam latam eſſe debere intelligis, itemque hoc ipſo craſſam, & tandem in infinitum quaqua verſus extenſam (alioqui enim infra ſine extra, quod perabſurdum), id eſt, unum illud ſimplexque corpus, unam illam ſimplicemque extenſionem, de qua nobis hic ſermo, eſſe videbis) ſimiliter de punctis, de ſuperficiebus, particularibus corporibus facillimum eſt demonſtrare.

ximus [1] *Abstrahentium non esse mendacium*, unde non sunt figmenta, non entia rationis,

1 *Abstrahentium non esse mendacium*] Sic nec *supponentium est mendacium* quod bene in his duobus actibus notandum: vulgus enim videtur hoc ignorare, putatque cum quis falsa supposuerit, mentitum esse (quæ popularis opinio nostro tempore multos afflixit, qui Philosophiæ gratia supponebant inter falsa reliqua, *Deus non est*) hinc populus abstrahentibus sæpe mendacii notam inurit, ut si beatum eum esse dixeris, qui virtute præditus cum sit, corpore horribiliter torquetur: dictum enim est hoc a Philosophis secundum abstractionem, qua mens & animus a sensibus, passionibusque suis abstrahitur: secundum quam abstractionem, vir bonus etiam felix est, cum dolet maxime: quas vero populus frequentat abstractiones (velut puncti, lineæ, & superficiei & particularium corporum) eas pro abstractionibus non habet: sed putat res objective sic se habere, seu in eo statu atque conditione consistere, in qua ipsi eas abstractionibus suis posuerunt: Adjice & hoc: *Opponentium non esse mendacium*: Cum enim inter disputandum opponimus, non id asserimus quod contra thesin ab alio assertam afferimus, sed responsionem ejus ad ista, quæ opponuntur, exposcimus: unde ineptæ objurgationes & omnino ridiculæ, qua qui disputationem sustinent, in opponentes suos invehuntur, licet illis regerere opponentium *non esse mendacium*, aliud esse asserere, aliud opponere.

Pro abstractionibus & præcisionibus hoc etiam militat, quod unum eorum, quæ abstrahi inter se dicuntur, præbeat usum aliquem, quem non exhibet alterum: usus autem ille in lineis, superficiebus, & punctis maxime elucet circa con-

nis, non Chimeræ, ut quidam non satis Philosophiæ consulti, nimis temere loquuntur pronuntiantque, sed corpora particularia, sicut sunt aliquid ipsius corporis simpliciter dicti, sic & revera superficies, lineæ atque puncta sunt aliquid extra nos in corpore particulariter sumto: cum vero non sint partes ut ex dictis patet, & adhuc magis patebit §. sequenti restat, ut modos esse dicamus, nam corpus particulare non est pars corporis simpliciter dicti, pars enim quævis, seu secundum se totum; seu secundum suas partes multiplicata tantum exhaurit suum totum, seu adæquatur suo toti, quod in corpore particulari ad corpus simpliciter sumtum comparate locum habere non potest. Cum igitur, corpus particulare, sit aliquid corporis simpliciter sumti, aliud

D pro-

contactum: nam sphæra tangit planum in puncto (si in aliquo divisibili tangeret, vel in sphæra superficiei aliquid plani, vel in plano aliquid cavi esse deberet, quorum utrumque est impossibile) cylindrus tangit planum in linea: denique cubus supra cubum parallelos ductus tangit ipsum in superficie (dico ductus, quia si quiescat cubus super cubo non tanget sed unietur non contiguus sed continuus erit) in his igitur contactibus, in primo quidem usum habet punctum; linea & superficies huc nihil conferunt: in secundo linea: & superficies nihil huc confert: in tertio denique usum præbet superficies: nihil huc facieme (sicut & nunquam ad contactum facit) crassitie.

profecto esse non potest, quam modus ejus: sic & superficies corporum particularium modi sunt, non partes. Pars enim nulla est in toto ad quam dividendo accedere non posses, ad superficiem vero dividendo corpus particulare pervenires nunquam, sic & linea est modus superficiei, lineæ punctum. Nota deinde quodlibet corpus particulare posse considerari ut superficiem, ut lineam, ut punctum; pendet enim hoc a consideratione nostra non minus, quam quid primum, quid ultimum in linea recta dicam: possum enim hoc dicere primum in linea recta, & ex consideratione nostra altera extremitas ultima erit, & possum etiam vice versa dicere, ut per se notum est. Igitur hæc domus punctum erit, & linea, & superficies pro diversa consideratione & pro diversa seclusione eorum, quæ in mole ejus reperiuntur, eique moli realiter identificantur. Equidem, quando ad sensum superficies formanda est, tenue aliquod corpus, (velut supremam cepe pelliculam exsiccatam) nobis proponimus, cum enim longitudo & latitudo permagna sint comparatione facta ad crassitiem, hinc sensui illæ notabiles, hæc minime, adeoque simile quid est superficiei, in qua longitudo atque latitudo considerantur, crassities minime: est igitur tale corpus pictura

ctura ſuperficiei analogia & emblema, non vero ſuperficies, utpote quæ per ſolum intellectum abſtrahentem capi poteſt. Quando vero linea ad ſenſum formanda eſt, repræſentamus nobis corpus aliquod notabilis longitudinis, parvæ autem latitudinis atque craſſitiei (parvæ, inquam, comparatione facta ad latitudinem atque craſſitiem) V. G. repræſentamus nobis filum araneæ, in quo quidem non eſt exigua latitudo atque craſſities (ut §. ſequenti patebit) ſed exigua comparatione facta ad longitudinem, & hoc pacto iterum non lineam ſed picturam & emblema habemus. Denique punctum ad ſenſum formamus exiguam aliquam ſphærulam nobis repræſentando, & quo minorem illam fecimus, eo videmur magis nobis punctum repræſentare, ſed cautius conſultiusque eſt [1] *mentem ab illis imaginibus*

[1] *Mentem ab iis imaginibus removere*] Mentem ab iis imaginibus removere ſæpe non eſt in noſtra poteſtate, nam phantaſmata illa ſeu emblemata quotieſcunque de lineis, ſuperficiebus & punctis agimus animo noſtro obverſantur cum haſce res ſub illis imaginibus, primum arripuerimus & continuo poſtea uſu frequentaverimus; ſicut ſimili de cauſa cum de Deo cogitamus, idolum aliquod virigravis ſolet animo obverſari: in quo excutiendo qui laborant ſcrupuloſi, plerumque vident operam ſe perdere. *Mens igitur ſatis removetur, cum præciditur ab illis imaginibus, ſeu illas*

removere, & per lineam, superficiem atque punctum hoc mere intelligere, quod sunt nempe longum qua sic, latum qua sic, ante qua sic.

illas imagines in nullo numero habemus, non æstimamus ipsas, nihil affirmamus aut negamus, nihil concludimus, sed tantum ex notione & idea deducimus, quicquid de rebus illis dicendum est: ex quo & hæc assequimur paulatim, ut imagines illæ sensim magis magisque in nobis diluantur & fere nullæ evadant, aut etiam prorsus nullæ: aluntur enim imagines illa reflexione mentis frequenti, ac pronunciatione & sententiis quæ secundum imagines illas earumque dictamen exiguntur, contemtu vero isto negativo, quo se mens mere negative habet ad illas, evanescunt tandem, aut extenuantur admodum: tum mens aut libera penitus aut saltem liberior dici non potest, quam facile ad veritatem intendat, quam sublimiter philosophari incipiat, solis jam suis ideis & innatis notionibus addicta, & auscultans tota: in rebus ethicis simile quid contingit circa passiones; vide tractatum nostrum de proemio virtutis.

NONA SCIENTIA.

Corpus secundum trinam dimensionem divisibile est in infinitum.

1 SUmto enim *corpore particulari* (de quo intelligenda est hæc propositio, cum cor-

1 *Sumto corpore*, &c.] Dices si corpus ita semper secundum longitudinem divisibile sit, ergo no

corpus qua ſic ſeu corpus generale, ne

quiuno ſtraminulo complebimus totum & vaſtum horreum, dividatur ſtramen illud ſecundum ſongitudinem ſuam per medium, tum una medietas in horreo reponatur, altera medietas rurſum dividatur per medium, & rurſus medietas hujus diviſionis in horreum deferatur, tum rurſum reſtant medietas per medium dividatur, & ſi diviſio illa in infinitum procedat ſemper aliquid ſtraminis in horreum comportabitur, cumque nunquam ceſſabitur a tali, in horreum invectione ſtraminis neceſſum erit horreum tandem compleri ſtramine.

Reſp. Argumentum aliquid efficeret, ſi res diviſione ſua fieri poſſit major: jam autem hoc eſt impoſſibile, & diviſio non amplificat rem ſed diſpergit atque etiamſi diviſio ſtraminuli illius in infinitum procedat, tamen particulæ ejus in horreo non plus occupabant loci, cum *jam* diviſæ & a ſe mutuo ſeparatæ ſunt, quam ante cum omnes inter ſe conjunctæ eſſent, & ſtraminulum componerent. Nititur ergo prædicta objectio iſto puerili præjudicio, quo res diſperſa collecta major videtur

Utiliſſimum eſt hoc ſcire, quod cum imaginibus & phaſinatibus iſtis non ſit pugnandum, quia impoſſibile eſt, ut deleantur & æque inſaniunt qui hoc agunt quam qui cum ſpectris noctumis & lemuribus certamen inſtituunt, item ille qui baculum partim in aqua, partim in aëre extantem (vide ſequentem pag.) quaſi fractam intuetur, ante enim ſibi quis oculos eruat, quam hanc ſpeciem baculi fractio. Satis igitur eſt ſi mente tenemus contrarium, ſc. hoc non ita eſſe, licet conceptis verbis id non dicamus, evidentiſſima eſt diviſio corporis in infinitum per hanc conſequentiam: ſi alicubi ſiſti

quidem divisibile sit, ne quidem dimensionem habeat) & considerata ejus longitune videbis nullam tam parvam partem in illo determinari posse, quæ ulterius divisibilis non sit. Quod ut clarius constet, mente cogitationeque dividamus longitudinem per medium, alteram istarum medietatum rursum per medium, alteram harum rursus per medium; videbimus nos tali divisione nunquam ad finem perventuros; sicubi enim instituta, jam sufflaminaretur divisio, id demum ea in parte foret, quæ secundum longitudinem dividendo tam exilis esset, ut *ante* ei ac *retro* ibidem starent (quandiu enim *ante* alibi, alibi *retro* fuerit, tandiu procedit divisio secundum longitudinem) ad illam autem partem dividendo perveniretur nunquam. Similiter latitu-

sti potest divisio corporis, sequitur V. G. *ante* & *retro* (*supra* & *infra dextrum* & *sinistrum*) ibidem esse posse, consequens vero est impossibile, ergo & antecedens: quæ argumentatio est bona & probata dialecticis, sequitur enim eodem modo, ut hoc: si lapis est homo, est animal: sed impossibile est eum esse animal; ergo impossibile est lapidem est hominem.

Licet non possimus circulum perfectum describere, mens tamen facilius attendit ad ideam circuli viso aliquo circulo imperfecto, quam ad figuram illam irregularem, quam descripsimus.

Nos etiam dicimus *corpus omne totum*, &c. sed non ducimus inde argumenta, quemadmodum faciunt sophistæ, optime autem dicimus *Corpus simpliciter.*

d

titudinem dividendo per medium, ac medium per medium, nunquam sufflaminabitur divisio. Sicubi enim sufflaminaretur, hoc demum fieret in ea parte, quæ secundum latitudinem dividendo tam tenuis foret, ut *dextrum* ac *sinistrum* ibidem starent, (quamdiu enim *dextrum* alibi, alibi *sinistrum* erit, tamdiu secundum latitudinem procedet divisio) ad illam autem partem dividendo pervenietur nunquam: quod enim ei a dextra staret, id a sinistra staret, sic dextrum ei ac sinistrum idem faceres, quod est impossibile. Similiter secundum crassitiem divisibile erit in infinitum, nisi *supra* & *infra* idem alicubi esse volueris, quod est impossibile.

Dices: impossibile est multa esse sine uno: atqui particulare corpus multa est (quia corpus particulare est partes multæ & sine fine) ergo non est sine uno: si non est sine uno est sine indivisibili, quamdiu enim partem aliquam divisibilem dederis in corpore, non unum sed multa dederis. Oportet igitur indivisibilem partem admittere in corpore, si non velis *multa* sine *uno* dare.

Resp. [1] *Argumentum hoc confundit* numerum

 est sine unitate etiamsi unitas illa rursum constituat numerum aliarum & minorum partium, quia

[1] *Argumentum hoc confundit*] Ea multitudo partim in corpore particulari nunquam etiam

merum cum magnitudine, in numero nunquam multa sunt sine uno : in magnitudine vero est extensio sine fine, & in infinitum divisibilis. 2. Confundit multa cum infinito : infinitum non est multa proprie loquendo, sed multa sunt quidem modus ejus, ut ex antedictis patet.

Dices. 2. Si corpus particulare in infinitum divisibile sit, nunquam incipit motus: posita enim V. G. musca in initio lineæ bipedalis, antequam illam conficiat, necessum est ut mediam partem, id est, lineam

quia numerus rursum non est sine unitate sua & sic in infinitum V. G. lignum tripedale si in pedales partes dividatur hic multitudo seu numerus nempe ternarius est, pars pedalis rursum numerum constituit partium V. G. quatuor quadrantes unius pedis, qui numerus rursum non est sine unitate, (quadrantes rursum habent partes & certum eorum numerum, & hæ rursum suas, & sic sine fine nunquam devenitur ad numerum, qui non habeat unitatem) sed dices numerum omnium partium sine unitate esse. Resp in infinito non licet dicere *omne* hoc enim significat te omnia complexum esse, cum de ratione infiniti sit ut quantumcunque de eo sumseris semper maneat aliquid extra, quod bene notandum: omnia enim fere argumenta, quæ hic contra veram doctrinam objiciuntur á multis, & insolubilia prima fronte apparent, in eo fundantur: utunturque istis nominibus *omnia totum*, &c. adeoque cum de infinito loquuntur, supponunt se illud exhausisse, seu supponunt illud finitum esse, adeoque quod probare debebant hoc gratis & sine probatione assumunt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [90] - 80
PUBLIC DOMAIN

lineam ſemipedalem conficiat: antequam hanc partem conficiat, neceſſum eſt ut mediam hujus partem, id eſt, quartampedalis lineæ partem conficiat, & ita porro: ſi diviſio iſtius lineæ pedalis in infinitum procedat, neceſſum eſt, ut motus iſtius muſcæ incipiat, incipienti enim ſimile argumentum ſemper oggeripoterit, quo ſuſtineatur ab incipiendo motu.

2 Reſp. *Hoc argumentum ſupponit* magnitudinem infinite diviſibilem & tem-

2 Reſp. *Hoc argumentum ſupponit*, &c.] Argumentum objectum efficeret aliquid, ſi motus aut in parte magnitudinis aut in parte temporis inciperet: jam vero neutrum fit (ut argumentum ſatis ſuperque evincit) incipit autem motus in puncto magnitudinis ſeu lineæ & in momento temporis ſeu inſtanti; quorum neutrum pars eſt ſed modus tantum, punctum quidem lineæ, momentum vero temporis. Neceſſarium igitur eſt, cum linea ſecundum longitudinem ſuam infinite diviſibilis ſit, ut pariter motus, qui ſuper illa linea fit in partes priores, & poſteriores infinite diviſibilis ſit, itemque tempus quod impenditur in illa linea per motum & metienda ſecundum ſucceſſionem infinitum ſit neceſſe eſt: ut bene conſideranti etiam ſine ullo alio argumento notiſſimum fit: unde dicunt Scholæ non ſimpliciter magnitudinem ſed continuum (ſub quo etiam motus atque tempus continentur) in infinitum diviſibile eſſe: quo poſito certum eſt motum non poſſe inchoari, in aliqua ſui aut temporis aut magnitudinis parte, ſed duntaxat in modo aliquo iſtorum puncto, nempe momento inſtanti.

pus usque ad atomos divisibile esse: contra fit: nam sicut magnitudo divisibilis est in infinitum, ita pariter motus ac tempus; quibus cum magnitudine quadratis facile corruit vis argumenti. Sicut enim magnitudo non habet initium aliquod & finem velut partem, sed tantum velut modum: sic etiam instantia seu momenta in tempore modi quidam sunt non partes.

DECIMA SCIENTIA.

1 *Corpus est mobile.*

HOc ipso enim quo pars corporis à parte sejungitur, hoc partes inter se movendicitur sed dividi quidem totum, moveri vero partes ejus. *Eo ipso, quo corpus particulare divisibile est hoc ipso partes ejus mobiles sunt, moveri & dividi sunt idem*; sed non dicuntur de eodem. Evidentissimum est hoc principium, ut apparet multa enim non sunt, quam unum & adhuc unum, sive ibi sistas sive adhuc ulterius procedas: igitur multa non possunt esse sine uno, quandoquidem ut vidimus definitionem multitudinis unitas ingrediatur.

1 *Corpus est mobile*] Divisio & motus re ipsa nihil differunt, tantum differunt consideratione seu connotato (ut scholæ vocant) nam dividi totum dicitur, cujus partes ab se invicem separantur nulla alia ejusdem totius parte ipso momento separationis inter partes separatas interjacente. Moveri vero non illud totum dicitur, sed partes quæ inter se super divisionem secedunt. *Dividi* ergo & *moveri*, quum sit idem in re ipsa, non idem tamen

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [92] - 82
PUBLIC DOMAIN

moventur, nam motus non est aliud quam vicinitas atque distantia duarum earundem partium inter se. Cum enim duæ quædam partes corporis, vicinæ fuerint inter se atque distantes, factus motus intelligitur, & ni sic fuerint, nullus motus inter eos intelligi potest. Consistit igitur tota ratio motus in vicinitate atque distantia duorum eorundem (puta A & ipsius B) inter se, quæ ratio necessario sequitur ex divisione. Necessum enim est duas inter se partes post divisionem distare, quæ ante divisionem conjunctæ atque vicinæ erant: sed hic cavendum est magnopere (quod ante adhuc forte monuimus) ne vacuum aliquod comminiscamur. Nam inter partes a se invicem per motum secedentes non vacuum aliquod percipitur, sed [2] *tertia aliqua pars corporis, vacuum enim est impossibile* [3] *ex ante demonstratis*.

1 *Tertia aliqua pars corporis*] Hinc circulus particularium corporum in omni motu: fieri enim non potest, ut inter partes unius corporis particularis, per divisionem a se mutuo obeuntes alia pars alterius corporis particularis ipso momento divisionis interjiciatur, nisi circuitus quidam istarum partium intelligatur.

2 *Ex ante demonstratis*] Cavendum 2. ne corpus ipsum (quod vocatur corpus universe sumtum) mobile esse existimemus. Jam enim ex paulo supra annotatis liquet moveri nihil posse præter partem: corpus vero simpliciter sumtum non

non est pars, ipsum igitur non divisibile (ut pridem videmus) & multo minus mobile est, mobile enim est pars divisionis. Zeno (ut patet in tract Arist. de Zenone) corpus quidem quaquaversus.

UNDECIMA SCIENTIA.

[1] *Motum a se habere corpus non potest.*

CORpus quidem ex natura sua importat divisibilitatem mobilitatemque, sed divisionem, motionemque actualem nequaquam. Corpus enim non aliud dicit quam extensionem, extensio vero non aliud quam partem juxta partem. Motus plus dicit, scilicet etiam partem illam a parte (si enim pars tantum apud partem fuerit, non etiam a parte nullus motus intelligetur) hæc autem plus non potest haberi ex natura corporis, ut pote quæ in eo tota terminatur atque finitur, quod pars sit apud partem, ex quo etiam patet non vere quidem, sed ex apparentia corpus destrui per motum, cum enim corpus dicat partem apud partem, motus dicit partem a parte. Deus vero hæc conciliat per

1 *Motum a se*, &c.] Clarissime deducitur hæc assertio ex isto axiomate quod in Autologia circa quintam Scientiam asserebamus *quod nescit quomodo fiat, id non facit*, nescit corpus (utpote res bruta) quomodo fiat motus: non ergo faciet illum in se, non ergo motum habebit a se.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [94] - 84
PUBLIC DOMAIN

per circulum, ut & pars a parte ſit (adeoque motus fiat) hoc vero ſine artificio circuli, ſeu ſine circuitu impetrari non poteſt. Cum igitur corpus non habeat motum a ſe, neceſſum eſt, ut ſi illum habeat, aliunde habeat, habet vero illum, ut videmus in prima parte Metaphyſicæ, ſi aliunde habeat illum, neceſſum eſt, ut illum habeat a mente, non a nobis, conſcii enim nobis ſumus, (& ne latius evagemur vide Ethicam noſtram de *inſpectatione ſui*) igitur ab alia aliqua mente.

DUODECIMA SCIENTIA.

Ex motu tempus atque ſucceſſio.

MOtus enim duas habet partes *abeſſe* & *adeſſe*. Idem enim alteri alicui & idem adſit pariter, atque ab eo abſit, neceſſum eſt ſi motum intelligere volueris. Hæc vero ſimul eſſe nequeunt, & neceſſum eſt ut prius adſint inter ſe, deinde abſint, *prius* vero *poſteriusque*, ſeu *prius* & *deinde* tempus ſunt, hoc ipſo igitur quo corpus eſt, motus poſſibilis eſt, eo ipſo vero & tempus poſſibile eſt, cum vero movetur jam corpus, eo ipſo exiſtit tempus. Similis hæc eſt ratio ſicut ante de corpore: ſiquidem palpabile eſſe non poſſe in eiſdem ſit corpus ſeu extenſum quid omnes intelligebant: ſed

quod extensum est, pariter etiam palpabile esse debere, non perinde capiebant propter præjudicium illud spatii sui imaginarii, quo tantopere laborant: (hoc enim volunt quidam extensum esse seu distantias metiri: corpus vero esse aut palpabile quid, pertinaciter negant, & nihil esse volunt) sic in hoc negotio de tempore, motum quidem sine tempore esse non posse facile intelligunt; sed tempus etiam sine motu esse non posse, hoc negant, propter præjudicium temporis imaginarii, quod infinitum fingunt ab utraque parte: itaque illud infinitis annorum millibus ante mundum & motum fluxisse, imperitissime ineptiunt, cum duratio omnis necessario supponat motum aliquem: & si omnia quiescant nil præter æternitatem seu individuum *nunc* (hoc enim revera est æternitas) intelligi possit. Itaque imaginarium illud sive tempus sive spatium, totius Philosophiæ ruina est: delet in mentibus hominum aut obfuscat veram de corpore adeoque de rebus spiritualibus ac Deo, mentibusque nostris, ac de ipsa æternitate innatas nobis ideas & notiones, & viam munit manifestissime ad omnem impietatem, ut videmus eos Philosophos olim etiam impios fuisse, qui hæc invexere popularia, a Philosophia prorsus aliena.

Nulla vero difficultas est & nemo laborat,

rat, quin motus ſecum inferat tempus, ſed difficultas quædam eſt, num tempus ſine motu eſſe queat (etiam cum albedo neceſſario inferat colorem, color tamen eſſe poteſt ſine albedine: proinde quis exiſtimare poſſet motum quidem ſine tempore eſſe non poſſe, tempus vero ſucceſſionemve ſine motu eſſe poſſe) non poteſt autem, & tempus atque motus re ipſa concidunt, ita ſcilicet, ablato motu, nullum tempus, nulla poſſit intelligi ſucceſſio, ſed ſine motu omnia ſimul & ſemel ſunt. Omnia ſunt nunc, indiviſibile momentum, non citra non ultra. Id quod Ariſtoteles olim in libris Phyſicorum exemplo alte dormientium oſtendit, quibus inter momentum illud quo ſomno conceſſerunt, atque illud in quo expergiſcuntur nulla videtur ſucceſſio, eo quod medio iſto tempore, [1] *in tempore ſeu motu non*

1 *In tempore ſeu motu*, &c.] Dicimur nos mentes qui ſumus, in motu & in tempore eſſe per accidens ratione ſcilicet corporis noſtri quod vere proprie, & per ſe in motu & tempore eſt, nos vero, qui à corpore noſtro a motu & tempore patiente ipſi etiam patimur in perceptionibus noſtris, propter Dei, qui id ita voluit ineffabile decretum, quodammodo ſumus etiam in motu ac tempore, quamdiu ſic a corpore noſtro patimur: cum vero dormimus ſine ſomnio (ſi tamen id fiat, fieri enim facile poteſt ut ſomniaverimus, & tamen nec ſomnii nec ſomniatos

non fuerint: sed, Deus potest successionem

mniatos nos esse meminerimus) non patimur a corpore, imo nec proprie sumus in corpore, sed morali tantum existimatione, sicuti probi etiam dicuntur qui dormiunt, tali locutione aliqua morali, de quo vide in Ethicis: cum ergo sic dormivimus nunquam inter ea sine cogitatione fuimus, hoc ipso enim esse desineremus, si cogitare desineremus: cum in nobis seu in mente nostra, nihil præter cogitationem percipiamus, quod ad ejus naturam pertineat: dicunt aliqui mentem nostram esse rem non cogitantem, sed cogitativam: in quo vehementer errant, & error ille late patet: nam similiter dicunt accidens non inhærere, sed inhæsivam esse, & alia similia quæ ad essentiam rerum pertinent potentialiter seu aptitudinaliter (id est, vocibus potentiam aut aptitudinem significantibus) exprimunt: sed meminerint illi hujus effati, *prius est esse quam posse*, id est, essentiam omnem semper præcedere potestatem & aptitudinem: unde qui mentem non cogitantem sed cogitativam ponit, cum cogitativum non sit aliud quam quod aptum seu potest cogitare dicant quid sit id jam ante in natura, quod ad cogitandum aptum, seu potens esse dixerunt quid invenient? nihil omnino: igitur primum est in mente nostra attributum, cogitatio, &c. hujus quidem actualis Objiciunt nullius nobis conscii sumus cogitationis inter dormiendum: dicere volunt se non meminisse sed quid hoc refert? memoria ad corpus pertinet seu ad nos ipsos ut incorporati sumus; minime vero, ut in nobis ipsis cogitando ante incorporationem mentes quædam fuimus, &c. alioqui innumerarum cogitationum nostrarum obliviscimur

quo-

nem causare in nostris cogitationibus sine motu

quotide: quotus quisque enim nostrum novit, quid puer cogitaverit, ne dicam quid infans. Cogitare ergo possumus, etiamsi cogitationis istius memoria non supereſt: quod & ex usu ipsius memoriæ satis notum est. Illa servit nobis dum in tempore sumus: nihil opus est ea, cum extra tempus concehimus, ubi nulla est successio, sed simpliciter *nunc* qua autem memoria opus est, cum tantum *nunc* est: Cum vero *nunc* & *tunc* sunt seu tempus, memoria juvat nos ut *tunc* quod *fecit*, referamus ad *nunc* quod est.

Cognitio Dei elucet in operibus nostris: unde nunquam debemus sapientem aliquem reputare, qui sceleste vivit; quia talis nunquam Deum vere cognovit, adeoque longissime abest à scientia. Hæc fusius traduntur in Ethica nostra.

Videmus sæpe quod homines conceptis verbis aliquid affirment quod tamen reipsa, & facto negant. Unde magis ad id attendendum est, quod facto, quam quod verbis exprimant: sic in Philosophia etiam multa affirmant, quæ tamen bene sciunt ita se non habere E. G. clamant in Philosophia, virtutem esse ex habitu; Christiani concionatores contra semper inculcant, bona opera non esse facienda ex consuetudine.

Quicquid corpore læso læditur non pertinet ad nostram mentem ratiocinatio, memoria, etiam ipsa sapientia, quæ per delirium a nobis aufertur. Ridiculum itaque est, quando præceptores discipulis suis commendant studia dicuntque eruditionem & sapientiam a nobis non posse auferri: cum quivis pessimus nebulo facillimo negotio & uno ictu lapidis, ferri, &c. eam nobis eripere possit: quod non mirandum, quia & ipsam vitam eripere potest. Omnia itaque a nobis possunt auferri

præter

motu corporum, tempus ergo potest esse sine motu. Resp. merito præsumimus Deum id non posse, ipse enim unus idemque, uno eodemque modo se habet, necessum

præter solum Deum: ille nos nunquam deserit, modo nos non deseramus ipsum; hic itaque syncere nobis colendus. Optimus autem cultus, imo continuus cultus Dei, est syncerus ac bonus animus: in gestibus & devotionis signis externis non debemus esse scrupulosi, quia illa parum ad rem faciunt.

Non puto Deum posse successionem cogitationum in mentibus efficere nisi illas alliget ad corpora. Unde etiam Augustinus ut salvaret successionem cogitationum in mentibus Angelicis, dixit eos habere tenuia corpuscula, forte aëria & similia & forte sic est, neque enim contrarium est in Scriptura revelatum: imo sæpe de apparitionibus angelorum sub specie corporea in illa legimus: certum est, (quicquid hac de re sit) ecclesiam non posse temere hoc rejicere: Augustinus enim post Paulum optimus doctor Ecclesiæ fuit & omnia ejus ex intimis veræ Philosophiæ penetralibus hausta videntur, tam mirabiliter consentiunt nobiscum. Scio tamen Pontifices id rejecisse.

Deus si esset in tempore deberet venire ad hoc instans quod est impossibile: sicut retrorsum non potest venire ad principium æternitatis: unde absurdum est de Deo sic loqui, ut illum ad tempus comparemus quod in alio exemplo facile videt ipse populus, qui si rogas, quam diu 2, & 3. fuerint 5. (quod per jocum quidem nonnunquam dicitur) statim incipiet ridere. Non dicendum est igitur, *Deum heri fuisse hodie esse vel cras futurum esse, sed* simpliciter *Deum esse.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [100] - 90
PUBLIC DOMAIN

ſum ergo eſt, ut inſtrumento diverſimode affecto utatur, ſi diverſos in nobis cogitandi modos ſuſcitare certum habeat (vide quæ his affinia diximus parte prima) atque nullum eſt aliud inſtrumentum quod diverſimode ſe habere poteſt, quam corpus. Sed Deus dices diverſam illam habitudinem inſtrumenti ſaltem efficit ſine ulla ſui mutatione, ergo poterit etiam ſine inſtrumento diverſimode affecto diverſas illas in nobis cum ſucceſſione ſuſcitare cogitationes.

Reſp. Deum imprimendo motum corpori unum idemque ſemper facere, etiamſi in diverſis partibus diverſum quid inde oriatur. Una enim eademque quantitas unus idemque tenor quem obſervat in motu, licet hic ſucceſſive ad diverſas materiæ partes pertineat, qui proinde ad corpora noſtra appellens Deo invariato idemque ſemper agente, diverſimode illud concutit & concutiendo diverſimode diverſarum in nobis cogitationum ſcaturigo & fons eſt, non equidem ex natura ſua (nec enim motus id valet (ut parte prima) & tum ex definitione motus, tum re ipſa manifeſtiſſimum eſt) ſed ex arbitrio & bene placito Dei qui (licet inidoneo inſtrumento) cauſat in nobis cogitationes; non tamen ineptitudo illa eſt protrahenda, ut etiam inepto ad diverſitatem cogitationum inſtrumento, tantam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [101] - 91
PUBLIC DOMAIN

tam earum diversitatem perficere existimandus sit, ut loco citato latius patet.

DECIMA TERTIA SCIENTIA.

Motus atque tempus non possunt esse ab initio, nedum ab æterno.

MOtus enim & tempus non sunt, nisi quid adsit atque absit, alterum vero hic ante alterum esse necesse est, non natura tantum sed successione igitur vel primum aderit, & deinde aberit, vel contra, nisi vero utrumque sit, motus non est, nam adesse non est moveri: sic nec abesse moveri est, alterum igitur horum ab initio esse potest, imo utrumque in diversis subjectis, aut respectu diversorum sed utrumque (adesse inquam & abesse) in eodem subjecto, respectu alterius cujusdam similiter ejusdam subjecti, non possunt esse ab initio, nulla etiam potentia, nulla vi, ergo facile patet, ad omnia quæ motum tempusque involvunt (qualia sunt mundus & partes ejus, atque ego ipse quatenus in humana conditione censeor) non posse esse ab initio. Ab initio dicitur esse, quod cum ab æterno non sit, primum tamen esse in successione, seu in successione non præsupponit aliquid ante se, jam autem corpus in motu seu successione non præsuppo-

ſupponit aliquid ante ſe : adeſſe enim (quod a parte rei eſt corpus ipſum) conſtituit primam partem motus, ſucceſſionis, temporis; ante primam autem partem ſucceſſionis nihil eſt in ſucceſſione : motus vero, tempus, ſucceſſio, duratio (eadem enim hæc ſunt) non poteſt eſſe ab initio, hæc enim non complentur in prima ſua parte ſeu in *adeſſe*, ſed demum in ultima ſua parte ſeu in *abeſſe*, adeoque cum non ſint ante complementum ſuum, non ſunt etiam ab initio ſed demum poſt initium : ſimiliter ea omnia quæ motum & ſucceſſionem involunt, eadem de cauſa ab initio eſſe non poſſunt ut mundus (hic enim nihil aliud quam corpus in motu eſt) ejuſque partes noſtraque conditio, ſeu nos quatenus homines ſumus, hæc ab initio eſſe non poſſunt.

Corpus vero ab initio eſt, nam ante motum eſt adeſſe ſeu partem eſſe apud partem, hoc ipſo vero corpus eſt, nam vicinitas unius ad alterum contignitaſque atque præſentia ſine extenſione (id eſt ſine corpore) eſſe cogitarique non poſſunt. Corpus igitur eſſe ante motum & ante tempus, non tamen ante quodlibet, ſeu ante quamlibet motus temporiſque partem : ſed ſicuti pavimentum idem una atque altera contignatio ſunt ante domum, ſed non ante quamlibet partem domus (cum ea ipſa par-

partes quædam sunt domus) sic corpus est ante motum completum, ante perfectum tempus, non tamen ante primam eorum partem; prima enim pars motus (& per consequens prima pars temporis) est adesse (tunc vero corpus necdum motus aut tempus, quod alteram etiam partem requirit) altera est abesse (tunc demum motus atque tempus sunt) etiamsi vero corpus sit ante tempus, nullatenus inde consequens est, ipsum ab æterno esse, quod enim sit ante tempus inde tantum sequitur ipsum esse primum in successione, ' *ex quo minime sequitur ipsum esse primum in natu-*

1 *Ex quo minime*, &c.] Primum in successione est *adesse* (hoc vero est a parte rei corpus: nam nec *adesse* sine corpore extensioneve, nec corpus aut extensio sine *adesse* intelligi potest) posterius est *abesse* omnisque successio incipit in *adesse* & terminatur in *abesse*: cum igitur illud quod *adest* necessario limitatum sit (non limitatur ad id cui adest, & cum proprie tantum in res corporeas cadat *adesse*, limitatur etiam ad cognitionem seu non cognoscit) non potest esse primum in in natura (seu ab æterno) nam in natura prius est *esse* quam *limitari*. Oportet igitur ut id quod primum in natura illimitatum sit, seu perfectum (nam limes & imperfectio idem sunt) ex quo etiam video Deum in successione non esse, sed in seipso tantum, seu in æternitate sua.

Adesse dici potest solum corpus particulare, sed quia illud infert ipsum totum corpus, necessario propterea etiam hoc de illo intelligi potest.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [104] - 94
PUBLIC DOMAIN

tura: hoc vero ad æternum requiritur, ut videre potes in parte prima. Dices forte, cum est adesse, tunc tam bene potest dici esse motum atque tempus, quam cum est abesse. sicut enim abesse posterior pars motus est sic adesse prior pars est. Non est enim major ratio, cur motus gratia hujus quam gratia illius partis potius esse dicatur: igitur motus atque tempus etiam erant ab initio, æque atque extensio & corpus.

Resp. ad existentiam rei requiri ultimum ipsius rei seu ultimam ejus perfectionem & complementum, non enim 100 sunt cum 99 sunt, deest nempe unitas adhuc, quæ hic ultimum complementum est & sic nec statua est, cum truncus est.

[1] *In rebus itaque successivis*, cum omnes par-

1 *In rebus itaque successivis*] Entia successive (in quibus nempe posteriori parte accedente aufertur prior) accommodamus quantum possumus ad normam rerum permanentium, in rebus autem permanentibus nunquam agnoscimus existentiam nisi ultima pars adsit, veluti in domo, si fundamentum sit, & pavimentum & contignationes, nondum tamen domus esse intelligitur, donec tectum ei impositum sit: similiter in rebus successivis etiamsi posterioribus advenientibus prima elevantur (ideoque non vere existant, ut egregie Plato dixit, sed partim existant & partim non persistant, quod mundo ejusque partibus, & conditioni nostræ humanæ accommodandum est, ut quæ omnia motum & successionem *includunt* & *requirunt*) *exspectamus* tamen ultimum, sicut in re-

partes non possunt haberi simul, tunc tamen earum agnoscitur existentia, cum pars ultima habetur: sic dicimus horam secundam esse non paulo post primam, nec paulo deinceps, nec cætera, sed cum integra hora post primam elapsa est, ita ut hora illa secunda dicetur esse per suam ultimum instans. Idem est in annis ætatis nostræ, dicimus enim tot habere annos in ætate, quod complevimus: atque hinc emanavit phrasis Scholæ non inepta:

[a] *Res Successive dicuntur existere per ultimum suum esse*: ex quo etiam Plato olim collegit, motum, tempus, eaque omnia quæ

rebus permanentibus ut esse dicam quod sunt, ut iter ad Hagam, non tunc esse dicitur, cum ad mediam patem processum est (tunc enim tantum iter est ad mediam partem) imo nec cum ad sylvam proventum est (tunc enim iter tantum est ad sylvam) sed cum ultima pars istius itineris habetur, & Haga jam attingitur & licet forte dicatur esse in itinere ad Hagam, qui mediam tantum partem istius viæ emensus est; nondum tamen iter ipsum esse dicitur, nisi forte in intentione ambulantis.

a *Res successive dicuntur*, &c.] Populus sæpe sequitur hoc axioma sermone suo (ut patet in exemplis allegatis in textu) sed subinde etiam destituit; ut cum *dicunt* mensem junium esse, diem solis aut lunæ esse, &c. non enim hisce completis & in ultimo esse suo consistentibus hæc dicunt, sed toto decursu & quolibet momento istius decursus; sed populus non potest præjudicare huic ἀκριβείᾳ Philosophicæ, certum enim est rem non proprie existere ante ultimum sui vide quæ mox ante dicta sequuntur in annotatis.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [106] - 96
PUBLIC DOMAIN

quæ se involvunt, ut mundus, partesque ejus, itemque nos, quatenus homines non proprie existere, nihil enim proprie existit, nisi quod partes suas simul habet (nam quod successive partes suas habet, id partim est & partim non est) hæc igitur talia quæ motum, successionemque involvunt, ita sunt, seu existunt, sicut pica alba est (nam partim alba est & partim non est alba) hæc vero non est proprie alba, unde Deus seu res æternæ proprie solum, simpliciterque sunt.

Deus nihil potest annihilare, quia omnia quæ dedit ex ipso sunt & in ipso manent: locutiones illæ Scholarum ortæ sunt ex καινοξηλίᾳ: Vera Metaphysica considerat res ut sunt in se independenter a nostra consideratione: Peripateticorum autem Metaphysica considerat res, prout illæ considerantur a nobis.

Deus habitat in cœlis, id est, in æternitate, cœli enim, quia ex longinquo apparent, nec videmus ibi aliquid mutari, sunt bonum emblema æternitatis.

DECIMA QUARTA SCIENTIA.

Corpus quiescere potest respondet §. 10. *ubi dicebatur Corpus moveri potest.*

QUiescere est *adesse* & adhuc *adesse*, unde *adesse* pariter in motu & quiete con-

tinetur, eſtque velut initium, materia & rudimentum tam motus quam quietis, complementum autem forma ac finis motus quidem eſt *abeſſe*, quietis vero adhuc *adeſſe*, differunt ergo velut formis ſuis motus atque quies; conveniunt autem materia.

Initio igitur nec motus erat nec quies: erat quidem tunc *adeſſe*; ſed necdum *abeſſe* (necdum ergo motus) necdum adhuc *adeſſe* (necdum ergo quies) ſed ſimpliciter *adeſſe*, ſine ullo *adhuc*, ex quo clare patet quietem ſine tempore eſſe non poſſe: nam adeſſe quidem ſine tempore eſſe poteſt; ſed *adeſſe* & *adhuc adeſſe* (quod naturam quietis conſtituit) ſine tempore ſeu duratione non poſſit (ut §. 12. demonſtratur) ſequitur quietem ſine motu eſſe non poſſe: ita ut quieſcere quidquam (puta A. ad B.) non ſit aliud rei, quam *adeſſe* alteri cum tertium quoddam adeſt (puta C ad D) & etiam *adeſſe* (A ad B) cum jam tertium illud abeſt (C a D) Semper igitur mentem reflectimus, cum quieſcere non ſit aliud quam *adeſſe* tantisper, quoad alibi *adſit* aliquid & *abſit*.

Corpus igitur etiamſi de ſe & ut eſt initio, nec motum habeat nec quietem; tamen quodammodo magis habet quietem a ſe quam motum: ſupponamus enim tres haſce per mentem determinatas partes A. B. C.

B. C. in corpore, ut erat initio; permoveri deinde A a B, B. atque (contignitatem ſuam ſervantibus; clare quidem intelligimus aliquid novi inter A, & B. interveniſſe, atque ea aliter ſe habere jam, quam ante ſeu initio ſe habuiſſent (hic vero motus eſt) inter B. vero & C, nihil novi acciditſſe videtur, habent ſe etiamnum, ut initio ſe habebant (hic vero quies eſt) liquet ergo clariſſime, quodam modo loquendi corpus magis habere quietem a ſe, quam motum (etiamſi neutrum rigide loquendo, a ſe habeat) ſicuti cum pariete nigro A, paries albus B. denigratur, oritur quidem ſimilitudo inter utrumque parietem, ſed paries A. quodam modo habet illam ſimilitudinem a ſe, & antecedenter ad denigrationem parietis B, paries autem B. prorſus aliunde accipit iſtam ſimilitudinem, eamque nullo modo antecedenter habet, in rigore vero loquendi neuter paries habet illam ſimilitudinem a ſe & antecedenter.

Ex dictis facile patet, quietem non competere corpori ſimpliciter: nam quod quieſcit, *adeſſe* debet (ut patet ex definitione quietis) id vero quod adeſt, limitatæ extenſionis ſit neceſſum eſt, atque ad id cui adeſt, terminetur; corpus vero ſimpliciter habet extenſionem, quæ moventur quæque quieſcunt corpus ipſum horum omnium expers eſt.

DECIMA QUINTA SCIENTIA.

A motu & quiete inter se conjunctis figura.

CUm enim plura aliqua quiescunt circa se, eademque moventur circa quædam alia, seu ab aliis recedunt & separantur, tunc figura, ubi separatio illa fit, intelligitur; & secus figuram aliquam intelligere, impossibile est. Includit ergo figura & quietem eorum inter se, quæ junctim figura circumscribi dicuntur, & motum separationemque eorundem a quibusdam aliis.

Cogita spatium seu corpus simpliciter dictum ut est in initio (quando scil. necdum motus, necdum quies est, ut patet ex S. præced.) certum est, nullam te figuram adhuc intelligere posse, determina jam eodem momento per aliquod mentem tuam corpus particulare in corpore simpliciter dicto, & ita in mente tua præcisione & abstractione cogitationis tuæ circumscribe, ut sphæricum sit; hoc facto, etiamsi intelligas figuram potestate (sicut nempe Mercurius potestate est in trunco) nullam tamen actu adhuc intelligis extra te existentem (sicut in trunco, cum statuarius Mercurium determinavit cogitatione sua nondum intelligit illum, ut actu existentem & eductum e trunco) ulterius jam statuit illud

illud corpus ſphæricum ſic poteſtate exiſtens, ſecundum iſtam ſuam figuram, incipere converti circa centrum ſuum : jam demum clariſſime intelligis, figuram non poteſtate tantum ſed actu exiſtentem : intelligis figuram ſphæricam convexam in corpore illo particulari, quod circa centrum ſuum convertitur, & ſphæricam concavam in eo corpore, a quo hoc ambitur : nempe quieſcunt inter ſe partes corporis ſphærici & moventur circa concavam corporis ambientis : ſimiliter quieſcunt circa ſe partes corporis ambientis, & moventur circa convexam corporis contenti (ne hic tibi ſcrupulus ſit ; cogita motum eſſe mutuum, nec convexam a concava poſſe recedere ſecundum diverſas partes ſuas, quin hoc ipſo ſimiliter concava recedat a convexa : motus tantum duas habet partes, *adeſſe* & *abeſſe*, utraque eſt mutua : & ſi hoc adſit illi, etiam poſterius adeſt priori : & idem eſt de *abeſſe*, motus ergo totus mutuus eſt).

Sed dices, ea etiam conjuncta figuram habent, quæ inter ſe moventur & non quieſcunt : V. G. vortex ſeu cumulus fluide circa centrum ſuum converſus figuram habet rotundam : & tamen ſingulæ partes ejus non quieſcunt inter ſe ; ſed moventur (in eo enim conſiſtit natura fluidi, ut *Phyſici* demonſtrant.)

Resp. non proprie figuram habet; sed partes ejus figuratæ sunt: dicitur tamen sæpe figuram aliquam habere considerationе nostra, & fictione aliqua mentis, quando sc. partes illæ fluidi finguntur quiescere, aut certe motus, quo inter se agitantur, non admittitur in considerationem.

Ut autem intelligas non tantum figuram esse tunc, cum quies motusque modo supra dicto conjunguntur, sed & figuram aliter esse non posse: imaginare tibi corpus illud sphæricum, de quo paulo supra, rursum quiescere, nec jam amplius circa centrum suum converti, videbis clare, nullam amplius figuram actu existere, sed eam totam recidisse in potestatem seu in sinum materiæ: sicuti si Mercurio rursum accedant illæ particulæ trunci, quas statuarius decerpsit nullus jam Mercurius: sed merus truncus intelligitur.

DECIMA SEXTA SCIENTIA.

Impossibilis est idem corpus modo majus, modo minus esse.

EVidens est, cum intelligitur de corpore simpliciter dicto. Hoc non potest fieri majus, quia in infinitum quaquaversus extenditur: hoc non potest fieri minus, quia simplex est, & nihil ei detrahi potest,

teſt, quin hoc ipſo auferatur totum.

Sola ſunt igitur corpora particularia, quæ majora minorave fieri poſſunt: majora, dum ultra limitem illum qui certo corpori particulari circumdatus eſt, adjicitur aliquid ex alio corpori particulari: minora vero dum ſimili pacto illis aliquid demitur: quod alteri corpori particulari accenſeatur; ſed dum ſic augentur minuunturve corpora particularia, clariſſimum eſt non manere eadem: nam certus ille limes, qui iis circumdatus eſt, certa illa menſura & numerus partium, quo cenſentur, pertinet ad eorum rationem & eſſentiam: ut proinde tam impoſſibile ſit, corpus aliquod particulare, idem manens, majus minusve fieri, quam numerum particularem (puta binarium, ternarium, &c.) eundem manentem, unitate aliqua augeri vel minui: non minus enim de eſſentia corporis particularis eſt, numerus certus V. G. duorum, trium, &c. pedum extenſionis ejus, quam de eſſentia numeri binarii, ternariive ſint duæ aut tres unitates.

Nec contra ſummam hanc evidentiam facere quicquam poteſt, niſi ſubinde, cum non ſatis attendimus, puerile aliquod præjudicium, quod ſubinde in corpus aliquod particulare (vel potius in corporeum aliquid particulare) conferimus non illius modo quantitatem & extenſionem, ſed

etiam pororum ejus, quæ tamen extenſio ipſi non debetur: ſicut reti non debetur extenſio iſtius ſpatii, quod intra rhombos ejus continetur: ideoque clariſſime intelligimus (modo ne ſimus a puerorum grege) rete non majus eſſe, dum per amplum aëris aut quod ſpatium expanditur, quam cum ante convolvitur, & in marſupio reponitur.

DECIMA SEPTIMA SCIENTIA.

Corpus non replicabile, non penetrabile eſt.

REplicatio ponit unum Corpus in duobus locis: penetratio ponit duo corpora uno in loco, utraque igitur idem corpus modo majus, modo minus ponit, utraque igitur eſt impoſſibilis juxta §. præced. ante replicationem minus, poſt replicationem majus eſt, quicquid replicatum eſt, ante penetractionem majus, poſt penetrationem minus eſt quicquid penetratum eſt. Ponatur enim per impoſſibile corpus pedale A, quod hic in conclavi eſt etiam in foro: adductis igitur AA. habebitur corpus bipedale, quod modo tantum pedale erat; ſit etiam corpus bipedale A B, & per impoſſibile pars pedalis A. ponatur intra partem pedalem B, erit igitur corpus A B, quod ante ad duos pedes exten-

extensum erat, jam tantum uno pede contentum.

Ex quibus etiam clarissime sequitur, rarefactionem rigorosam (qua nempe corpus aliquod in ampliorem molem sine accessu novarum partium extendatur) & condensationem rigorosam (qua nempe corpus aliquod sine discessu partium suarum fiat minus) impossibiles esse: nam hoc sine penetratione aut replicatione partium aliquarum istorum corporum, quæ rarefieri condensarive dicuntur, intelligi non possunt. Oportet enim eo, quod ita rarefit, partes aliquas vel ante rarefactionem penetratas a se mutuo, vel post rarefactionem replicatas agnoscere. Itemque in eo quod sic condensatum est, vel ante condensationem partes aliquas replicatas, vel post condensationem partes aliquas penetratas concedere.

Replicationem penetrationemque pariter impossibiles esse satis etiam demonstratur ex infinita corporis extensione, ejusque simplicitate & indivisibilitate (cui nihil proinde addi demive potest) nam si corpus aliquod particulare replicaretur, esset tota corporis simpliciter dicti extensio, hac accessione facta, major (quod fieri non potest, cum sit infinita) si vero penetratio fieret in aliquibus corporibus particularibus, esset tota corporis simpli-

citer dicti extensio, hac facta detractione, minor (quod fieri non potest, cum sit indivisibilis) & scholæ quidem, cum materiam ortus interitusque expertem pronunciant (si modo consentanea sibi ipsis loqui voluerint) hæc omnia nobiscum eadem sustinere debent, quomodo enim ingenerabilis seu ortus expers, si in infinitum extensa non sit, si pars aliqua adnasci ei possit? (hoc enim erit necessarium si non in infinitum extendatur) quomodo incorruptibilis, seu interitus expers, si divisibilis, & partes alias atque alias habeat? harum enim aliqua tolli annihilarive facile poterit, alia quadam in locum ejus per creationem surrogata (loquor ad hominem) videmus igitur sæpe homines conceptis verbis negare, quod re ipsa implicitè & affirmant, si enim corpus infinite extensum sit, & simplex (quod ut videmus, ipsi concedere debent) jam necessaria catena, & vacuum, & penetratio replicatioque, & condensatio rigorosa atque rarefactio (quorum quidam universa, quidam aliqua tuentur) impossibilia pariter sunt.

DE-

DECIMA OCTAVA SCIENTIA.

Corpus eſt palpabile.

NOn quomodocunque quoad tactum affecti palpare nos dicimus (non enim proprie, dum calorem tangimus aut frigus, palpare nos dicimus) ſed tunc demum, cum ſenſus ille ſuſcitatur in nobis à reſiſtentia corporis obvii, quod, quia penetrari ſe a manibus noſtris non ſinit: dum verſus ipſum feruntur fit preſſio quædam arctatioque majorum quorundam pororum in ſpongioſo manuum noſtrarum corpore: hæc vero preſſio atque arctatio ex inſtituto ejus qui nos homines voluit, valet ad imprimendam nobis certam illam ſpeciem qua dum perfundimur, palpare nos dicimus, quæ ſpecies non minus diverſa eſt a preſſione manuum noſtrarum, quam dolor diverſus ſit a diviſione partium noſtri cordoris unde ipſe cauſatur.

Palpatio iſta duobus modis impediri poteſt (totidem enim modis impediri poteſt illa reſiſtentia ſatis magna in corpore obvio quæ ad ſenſum palpationis nobis incutiendum requiritur) primo ſi corpus in eaſdem partes feratur, in quas manus noſtræ ipſum inſecutæ eademque celeritate: Secundo ſi corpus in minutas particulas diviſum confuſe, & ſatis celeriter

riter inter se agitatas, fuerit: tunc enim satis facilis manibus nostris præbetur transitus, cum obviæ particulæ impellendæ sunt (adeoque quiete, vel tarditate, quæ quieti analoga est, non præbent incurrentibus resistentiam) sed motus earum tantum alio determinandus est, potest vero a quolibet corpore, & motus ille, quo manus nostras fugeret, & ille quo in particulas divisim agitaretur, auferri. Quo posito necessario præbet manibus nostris in ipsum *incurrentibus resistentiam* (*penetrari enim ab illis non poterit juxta §. præced.*) & hæc resistentia, quamdiu viget institutum illud autoris conditionis nostræ de quo modo agebamus, necessario injicit nobis sensum palpationis: adeoque tandem omne corpus absolute est palpabile atque sic jam convincuntur manifestissimæ ineptiæ, qui vacuum aliquod comminiscuntur: cum enim distantiam ponunt inter latera vasis, quod vacuum esse volunt, tantum petendum est, ut motum omnem in illa distantia auferri sinant: hoc ipso enim totum medium erit palpabile (imo quod in Physica facile demonstratur, omni adamante durius) adeoque in quorumlibet sententia verum corpus, & sic minime vacuum erit vas, sed plenum.

Quamvis autem similiter demonstrari posset, omne corpus esse visibile, audibile,

le, &c. (cum enim ad hoc tantum requirantur certæ dispositiones, certique motus in corpore quorum quodvis corpus capax est: necessum est ut hæc perinde cuivis corpori competere dicamus) tamen singulare quid est in palpatione: cum populus omnis ab illo sensu naturam corporis desumat: ostensum proinde jam est, quod ipse, velit nolit hæc omnia in corpore esse fateri debeat, quæ nos de eo demonstravimus: nam quod nos corpus vocamus (sc. quid extensum) & quod illi corpus vocant (sc. quid palpabile) demonstratum jam est prorsus eadem esse.

Sequitur Tertia Pars

Quæ est

De Θεωλογία.

PARS TERTIA.

Seu

Θεολογία.

NOn exequemur hunc tractatum procedendo ex definitione, & idea Dei ad ejus proprietates descendendo (sicut id præcedenti tract. qui de corpore est, præstitimus) sed potius a posteriore eo quod juvet hanc scientiam connectere cum ea quæ traditur parte prima, & gradatim a cognitione nostrum descendere ad cognitionem Dei, sic enim magis concatenata erit Metaphysica, meliusque illa perpetuitas Scientiarum servabitur, quam initio hujus tractatus ad rationem ejus pertinere dicebamus, sic etiam facilius convincentur impii, qui facile solent illam ideam Dei dissimulare, & dicere vel illam se non habere, vel nescire se an aliquando illam pro libidine sua non finxerint, vel ex aliorum imposturis hauserint, cum simile nunquam de idea corporis dicant, facileque admittant se bene concipere extensionem seu spatium seu corpus tanquam rem aliquam penitus a cogitatione sua, penitus a mentis suæ opera independentem

dentem. [1] *Quod cur ita sit*, quæve sit ratio hujus discriminis ob quam alteram harum idearum facile, alteram ægre admittant, & intelligimus fere, atque non est opus id pluribus verbis longum facere & quamvis non intelligeremus certe non est hujus loci rationem illam discutere.

Ab idea Dei incipere debemus quidem si pure velimus philosophari, sed utilius est ab attributis incipere, atque sic Deum a posteriori cognoscere supposita labe nostra; mens autem angelica deberet incipere ab idea.

Deus libenter vult cognosci a posteriori, hoc est, ex effectis: sicut se etiam ostendit Mosi. Quæ aparitio non est aliter intelligenda, neque ibi species aliqua, ut quidem faciunt fingenda. Potest autem sic facile Deus cognosci. Unde Paulus gentiles esse inexcusabiles dicit, qui potuerint Deum cognoscere ex operibus ejus, nec honoraverunt tamen illum.

PRI-

1 *Quod cur ita sit*] Nempe idea corporis nullam per se importat obligationem, nullum, si obligationi non satis feceris, pœnæ ac vindictæ metum incutit, hæc vero necessario infert ideam Dei, nam & obligatio atque lex necessario ex idea illa emanat, & si legem non servaverit, reatus pœnæ, calamitas & perpetua infelicitas: homines autem plerique malunt hoc ignorare, & ægre ferunt cupiditatibus suis frenum injici.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [121] - 111
PUBLIC DOMAIN

PRIMA SCIENTIA.

Ille est hominum Pater.

HÆc Scientia prima est, & ad quam primo devenimus, ex cognitione nostrum ascendendo ad eum, etiamsi forte ultima sit, cum ab idea Dei delabimur ad proprietates Dei. Pater autem noster dicitur, quia nobis humanam conditionem induxit, quæ vidimus tractatu primo, in quo consistat nempe in eo quod ratione voluntatis nostræ certum aliquod corpus pro arbitrio nostro varie moveatur & secundum diversas suas partes varie agitetur; in his enim duobus consistit unio illa mentis cum corpore quia homines sumus; conscii autem clarissime nobis sumus, nos illam unionem non feciisse, non facere, nec facere posse, ab alio proinde factam esse (cum fieri nequeat ut a nihilo sit) autorem igitur hujus unionis, hujus nostræ conditionis, & status, qui nos homines fecit, qui nos genuit, qui pater noster est, Deum *vocamus.* [1] *Et nota quidem* inter homines alios

1 *Et nota quidem*, &c.] Sicut qui inter homines patres nostri dicuntur, non in rei veritate patres sunt (pater enim noster est, qui nos homines fecit, ut in textu; qui magistri nostri inter homines vocantur, non sunt vere Magistri: magister enim est, qui scientiam dat, homines autem satis ostenditur, quod illi non fecere) sic etiam nun-

lios aliorum patres dici ſolere, ſed improprius

nunquam nobis ſcientiam dant, nunquam nos vere docent (ut egregie obſervat Plato in Menone) ſed tantum excitando inadvertentiam noſtram, circa innatas nobis ideas, quas alioqui ſine conſideratione prætermiſiſſemus, hoc efficiunt, ut jam conſideremus eam, quam in nobis habemus Scientiam, mentemque defixam teneamus in iſta doctrina, quam jam ante habueramus, converſione ſcilicet mentis ideas & notiones innatas: & nota ſicut inidoneo prorſus & natura ſua inepto inſtrumento (tantum enim aptum eſt ex Dei ordinatione ac voluntate) qui patres noſtri inter homines dicuntur, occaſionem præbent nativitati noſtræ, & conditionis humanæ: ita etiam inepto de ſe inſtrumento, qui magiſtri noſtri inter homines dicuntur, occaſionem præbent ſcientiæ ac doctrinæ noſtræ, utuntur nempe vocibus, &c. Scripturis, & ſimilibus ſignis corporalibus, quæ corpus quidem pulſare poſſunt ſed ibidem neceſſario ſiſtunt, nec vim habent ullam a natura ſua, alterius ſubeundi in mentem; niſi ab illo, qui vere doctor & magiſter noſter eſt, in illam ſubleventur: de quo vide Ethicam noſtram de inſpectione ſui. Ex quo etiam clare liquet, cum obligatio noſtra ſit auſcultare rationem, quo ſapientiam, ſeu id quod ea dictat, percipiamus, cumque hæc auſcultatio iterum de ſe prorſus inidonea ſit valeatque tantum aliquid ex decreto divino, Deum etiam eſſe rogandum ſæpe & ſæpius, ut ſapientiam nobis largiatur, ipſe enim mediis illis de ſe inidoneis non adſtringitur, tantum præceptum nobis eſt, ut ea ſub nomine ejus adhibeamus, poteſtque ipſe alio modo cum vult largiri, ut Plato etiam bene obſervat. Igitur hic eſt altera Scientia *Ille eſt Magiſter noſter*, quæ forte reducenda eſt ad ſecundam partem Theologiæ.

prius est, & analogicus sermo, cum illi nos homines non fecerint, sed certa corporum suorum commixtione cum voluptate atque libidine partis ejusdem ac liquoris excretione id effecerunt, ut ipsis etiam involuntariis, imo hac de re nil cogitantibus (sic etiam fieri solet) nos corpore indueremur, & homines fieremus: non equidem vi istorum hominum qui prorsus ignorant, & ignorare perpetuo coguntur, quo pacto & corpus illud fabricatum sit, quod nobis dedisse videntur, & nos ipsi cum eo colligati simus, sed vi ejus qui id voluit, qui id scivit atque intellexit, qui etiam commixtionem illam corporum quam generationem vocamus, adhibendam censuit, qui tandem nos (uno verbo) homines fecit. Nota etiam quod homines illi magis quidem famose atque usitate, nihil ominus minus proprie & tropice omnino patres vel matres nostri dicantur quod & alias usu venit sæpius, ut nempe quod [a] famosius vocabulo aliquo significatur minus proprie significetur: Sic annotavimus in Ethica nostra Cap. primo *Amorem* quidem

[a] In communi sermone debemus sequi eam vocabulorum significationem quæ magis famosa est: in Philosophia veao veram significationem, & propriam. Sæpe autem fomosa significi-

dem famoſe ſonare paſſionem ſed proprie propoſitum: item lumen famoſe quidem illud quod oculos perſtringit, proprie vero quod in mente ac ratione verſatur ſignificat, &c.

ificatio non eſt vera & propria. Sic felix dicitur qui habet multas divitias & amplam familiam, & propter analogiam aliquam veræ felicitatis, quia etiam tales quodammodo facere poſſunt, quod volunt. Vere autem felix eſt, qui Deo ſuo ſervit.

SECUNDA SCIENTIA.

Ille mens eſt.

MEns eſt enim quicquid cognoſci, atque vult. Vult autem atque cognoſcit *Pater noſter*, igitur mens eſt. Cognoſcit, quia in nobis operatur cogitationes illas, quæ ſunt a nobis independentes (nos etiam illas, quæ a nobis dependentes infra videbimus) in quibus bonam partem verſatur humanitas, ſeu illa conditio, qua homines ſunt, ac qui operatur cognoſcit modum, quomodo fiat, qui enim neſcit quomodo fiat, is non facit, ut parte prima diximus. *Vult* etiam [1] *nam cognoſcere non eſt ſatis ad operandum*, niſi,

1 *Nam cognoſcere non eſt*, &c.] Imo nec cognoſcere & velle videtur ſatis ad operandum, oportet enim, quantum apparet, ulterius accingi ad opus ulterius influere ad opus, quod cognitione apprehen-

nisi etiam *velit*, certum enim est & per se evidens, non hoc ipso rem aliquam effici quo cognoscitur, sed ut a cognoscente efficiatur, requiri etiam ut is velit eam efficere. Igitur cognitio est in patre nostro (vide tract. primum) tum etiam *voluntas*, quod ibi per inadvertentiam omissum.

Nota Deum esse mentem simpliciter proprie & vere: ita quando mens tantum dicitur, nihil addendo, nihil etiam præter Deum intelligi possit: nam mentes creatæ seu mentes particulares atque limitatæ, non sunt *mens*, sed *mens eo usque* (nec enim cognoscunt simpliciter aut volunt) sed cum certo limite. 2. Aliquid cognitionis & aliquid voluntatis, seu mentis habent, clariora hæc evadent ex corporis comparatione simpliciter, & corporum secundum quid seu corporum particularium. Vide peripat. Metaph. §. de Univers. & Sing. Hinc summi veterum Philosophorum, ut imprimis Anaxagoras Deum non aliter vocant, quam mentem breviter, mentes creatæ non sunt mentes; sed aliquid mentis

hensum, & voluntate constitutum erat, ut executioni mandaretur: in omni enim actione hæc tria intervenire videntur, cognoscere opus faciundum, decernere ut fiat, & decretum illud exequi

sed cum in Deo (ut pote qui mens sit) nil aliud præter intellectum & voluntatem percipi possit, contingit hic aliquid in ipso ineffabili, ut idem apud ipsum sit & velle & exequi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [126] - 116
PUBLIC DOMAIN

mentis, ſicut corpora particularia non ſunt corpora, ſed aliquid corporis.

Ideæ omnes & veritates æternæ: ut E. G. duo & tria ſunt quinque, & ſunt in mente divina; ſed in noſtra cum nos conſideramus eas in Deo, & ſic ipſum Deum: unde ſcriptura dicit: *quod etiam Angeli proſpicere gaudeant in talibus.*

Scriptura dicit: Deus poſuit tenebras latibulum ſuum 2. eſt ineffabilis, ut homo non poſſit cognoſcere, quomodo fiant, quæ Deus facit.

TERTIA SCIENTIA.

Ille eſt Pater ineffabilis.

PAternitas enim ejus ad nos, quæ in inductione humanæ conditionis conſiſtit, quam ille nobis induxit eſt prorſus ineffabilis: injicit enim nobis illam conditionem, ineffabili illa operatione, quæ per corpus & motum (inidonea prorſus de ſe & inepta & bruta inſtrumenta) cogitationes in nobis diverſiſſimas excitat, itemque operatione etiam illa ſtupenda, quia ipſe ad arbitrium voluntatis noſtræ, quaſdam partes in corpore movet, nos enim movere nos non poſſumus (quod vide parte prima, & in Ethica de inſpect. ſui) *Igitur ipſe eſt pater & modus ille quo pater eſt noſtrum, ſtupendus eſt & ineffabilis.*

QUAR.

1 *Stupendus est & ineffabilis*] Ineffabile est, quod esse quidem intelligi potest, quomodo autem sit intelligi non potest, unde *ineffabile* respicit modum rei, non autem substantiam: si enim *ineffabile* respiceret etiam substantiam rei: jam *ineffabile* esset non ens, seu nihil, nam ineffabile (scil. verbum mentis) seu incogitabile, seu inconceptibile, seu non ens seu nihil, hæc omnia prorsus idem sunt, imo non alia de causa intelligimus nihil esse quam quia non intelligi potest. V. G. mons sine valle nihil esse intelligitur, eo quod in eo nihil intelligi possit: videtur quidem in illum aliquid conferri ex una parte cum *mons* dicitur; sed tantundem aufertur ex altera parte, cum *sine vale* dicitur, item cum *sine valle* dicitur, etiam conferri aliquid in ipsum videtur; sed tantundem auferetur rursum ex altera parte cum *mons* dicitur: adeoque in illo nihil restat intelligendum & simili pacto semper colligimus, cum lite philosophamur, illud quod veluti res a quibusdam obtruditur, nihil esse: quamdiu enim aliquid intelligibile, in eo quod propositum erat deprehenditur, tamdiu certi sumus, id non nihil sed aliquid esse. Cum igitur substantia rei inconceptibilis est, res illa non res, sed nihil est, hic est difficultas humanæ mentis, modum rei substantiæ, ex æquantis: pariter modus nullus esset, qui inconceptibilis est: sed redarguimur a conscientia nostra quæ multas etiam res nobis perhibet, & eas esse clarissime ostendit (velut imprimis humanam nostram conditionem) quarum tamen modum pleniſſime, ignoramus, & ignorare æternum cogimur, & alias quidem sæpe rem oculis usurpamus modum rei prorsus non intelligimus: ut cum e vase pleno undique bene obturato, extracto epistomio nihil effluit, cum ferrum ad magnetem it, cum automata & horologia motus varios exercent,

cercent, & horas loquuntur (rem videt vulgus, modum vero non intelligit; sed hoc saltem casu, etiamsi modum non intelligat non despondet animum, non putat illum à se intelligi non posse, sed tantum videt a se de facto non intelligi (hinc jam proxime enumerata, non ineffabilia, sed ineffata illis sunt) Aliud id est de iis quæ ante diximus, & potissimum de egressione motus è mente (mente inquam æterna) & ingressione motus in mentem (humanam) deque humanitate ipsa, ingressuque nostro in eam, egressuque ex ea: hæc enim talia sunt ut non tantum intelligamus non intelligere nos modum istorum: sed intelligamus etiam intelligere nos illam nunquam posse: adeoque proprie ineffabilia sunt. Ineffabilitas autem ultime & perfectissime recumbit in causam operis ineffabilis: itaque etiamsi humana nostra conditio ineffabilis recte dicatur; Deus tamen qui illam efficit, potiori jure ineffabilis dicendus est. Ineffabilitas trahit secum adorationem, itaque pater noster adorandus est: sed hæc atque similia, non erant in Metaphysica conjicienda: vide de illis Ethicam nostram, ubi de pietate agitur.

QUARTA SCIENTIA.

Ille est Creator [1] Mundi.

Mundus non est aliud quam corpus in motu (ubi sub mundo etiam quamlibet mundi partem comprehendo) hoc ipso enim quo motus impressus est corpori

1 *Mundi*]- Mundus dicit ordinem ad quantitatem motus: adeoque creatura corporea non proprie vocatur mundus, si in se consideratur.

pori, hæc omnia, quæ mentem tam varie afficiunt (cœlum, ſydera, frutices animalia, terra) prodiderunt: Clariſſimum eſt ad diverſos motus, quos hæc imprimunt diverſis partibus noſtri corporis diverſiſſimos in nobis oriri ſenſus, quibus res illas inter ſe diſtinguere ſolemus

1 & *ſine quibus de rebus illis non cogitaremus*,

1 *Et ſine quibus*, &c.] Senſibus etiam deſtituti, ideam tamen mundi, partiumque ejus habere poſſumus, imo etiam ideam hujus mundi (plures enim eſſe poſſunt mundi authore naturæ aliter atque aliter itemque remiſſius vel intentius, diffuſius vel contrarius movente materiam, hæc enim omnia pendent ab ejus arbitratu) nam habentes ideam mundi ſeu corporis in motu poſſemus ad varias ejus ſpecies deſcendere tandemque etiam ad ſpeciem hujus mundi appellere: quo caſu tamen hunc mundum non ut exiſtentem, ſed ut poſſibilem: nec enim idea aliud de re objecta, (Dei ideam excipio) indicat ſed hæc idea repræſentaret nobis hunc mundum ejuſque partes ut ſunt in ſe: neutiquam repræſentare nobis poſſet mundum hunc ejuſque partes, prout eſt in ſpecie ſua atque imagine, quam ſolet ſenſibus noſtris imprimere Deus, itaque duos quodammodo mundos fecit, alterum in ſe & non eſt aliud quam corpus diverſiſſime, ordinatiſſimeque motum) hujus ideam habemus in nobis independenter a corpore, independenter etiam ab iis omnibus quæ ratione corporis nobis obveniunt, velut ſenſibus paſſionibuſque, alterum mundum fecit Deus in nobis ſenſibuſque noſtris miris elegantiſſimiſque ſpectris & phantamatibus præditum & hic venuſtior eſt longe & magis artificioſus

cioſus, plus ſapientiæ & bonitatis in illo ſpirat quam in alio iſto mundo: hujus vero mundi nullam haberemus cognitionem, niſi ſenſibus & corpore inſtructi eſſemus: atque id eſt, quod hic dicitur, nos de hoc mundo partibuſque ejus, niſi per ſenſum nihil reſcire poſſe, hoc inquam de poſteriori mundo intelligendum. Priorem autem mundum Deus voluit eſſe occaſionem poſterioris: voluit enim priorem illum mundum motu ſuo imprimere nobis diverſas illas apparentias, imagines, phœnomena, phaſmata (& quibuscumque tandem id libet, nominibus exprimere) in quibus *eſſentia poſterioris* illius mundi conſummatur.

Deus creavit mundum per voluntatem ſuam Apocal. 4. v. 11.

Quemadmodum is, qui alteri ex crumena ſua porriget aliquos nummos, non facit nummos illos, ſed alteri communicat ſaltem & quantum nummorum communicat, tantum ipſe pendit. Sic etiam corpora una in alia impingentia communicant motum quem habent, ſibi invicem, & tantum motus quantum communicant aliis, ipſa perdant, plane autem non efficiunt motum.

Mundus, quatenus in ſe eſt, inviſibilis eſt, ille autem qui in nobis eſt, bene videtur: hinc dicitur in ſacris: Hebr. 11. 5. *Deus fecit mundum* (poſteriorem in nobis) ex *inviſibilibus* (mundo nempe priori, qui eſt in ſe) voluit enim Deus priorem illum eſſe occaſionem poſterioris. Eſt autem inſigne & ineffabile Dei beneficium quod ita gaudeat humano genere, ut nobis ſuam omnipotentiam & infinitam ſapientiam oſtendat. Et dolendum quam maxime eſt, quod homines plurimi per totam vitam ſuam hoc ne ſemel quidem conſiderent, ut proinde vere (ſed non ſine pietate) dici poſſit, Deum condidiſſe hunc mundum pro uno vel paucis ſapientibus, ut pote qui ſoli etiam conſiderant, & certum eſt, Deum pluris facere

mus. Ubi nota per sensum nos hunc mundum incolere, maximam ejus partem aspectu usurpamus, magnam partem auditu, aliquam etiam gustatu, olfactu, & tactu, hisce sensibus si destitueremur, nihil apparet cur in mundo nos esse dicemus, unde qui cœci nati sunt, vix in mundo sunt, maxima saltem mundi parte carent, de cœlo, de stellis, de coloribus nihil sciunt, & etiamsi nomina talium rerum audiant, *nullam tamen mente cogitationem* istis nominibus congruam habent. Cum igitur de hoc mundo ejusque partibus non aliter quam per sensum constet, si sensus in solo motu istorum corporum absolvatur, necessum est totam mundi, partiumque ejus essentiam & formam in motu consistere, atque solo motu absolvitur hic sensus; videmus enim his aut illis nervis vibratis certo modo, cum per eos motus ad cerebrum, certamque cerebri partem pertinere potest, omnes illas diversissimasque species luminis, colorum, sonorum, &c. in nobis suscitari, quod adeo verum est, ut si nervi isti, aut cerebrum aut certa pars cerebri, ad quam nervi pertinent, tali pacto aliunde forte vibrentur (sicut a motu partium mundi extra corpus nostrum positarum, vibrari concutique

unum sapientem quam integrum mundum stultorum.

cutique ſolent) eaſdem etiam in nobis ſpecies ſuſcitari (quod ex ſomno manifeſtum eſt) argumenta clara, quod tota eſſentia iſtarum partium, quatenus nos afficiunt, quatenuſque iſtis nominibus, quibus eas indigitare ſolemus, exprimuntur, mere conſiſtit in diverſo motu. Si quid enim aliud in ſe haberet (quod vel fingere difficile, atque impoſſibile videtur) id certe ad nos non pertinet, ut proinde mundus, ejuſque partes, omniſque eorum forma, in quantum nos afficiunt, in motu collocanda ſit: quod bene perpendenti tam evidentur cenſeo demonſtratum eſſe, ut quid ad demonſtrationem illam addi poſſet, prorſus non videam; ſufficere autem illum ad omnes illas perceptiones, quas de mundo ejuſque partibus habemus, abſolvendo, tum intelligenti ſatis demonſtratum eſt, tum quī non ſatis intellexerit habet, quod Phyſicam adeat, in qua continua diductione per varios motus, varia atque adeo omnia naturæ phœnomena, abunde explicantur. Ex dictis patet, creatorem mundi non eſſe alium, quam primum motorem, de quo Ariſtoteles & Peripatetici multa, & quædam inter alia non inepta dixerunt: nobis vero *primus motor*, & ſimpliciter *motor* idem ſunt; ſatis enim *ex ante dictis eluceſcit, nec nos, nec corpora, nec aliud quicquam movere præter illum, qui motum condidit pone nos:*

satis id demonstratum est, non corpora, quæ motus suos aliis corporibus communicant, & quantum illis impertiunt, tantum de motu suo amittunt, hoc non est motum facere, & quod motum non efficiunt satis ex eo evincitur, quod nesciant, quomodo fiat. Restat difficultas aliqua ostendendi, quod ille pater sit hic creator, aut motor: cogitare enim quis posset alium, qui motum efficit, (id est motorem & conditorem) alium qui eo utitur ut hoc velut instrumento cogitationes in nobis suscitet, & aliqua velut voluntatis nostra dictamina exsequatur (id est patrem seu conditorem hominum) sicut enim qui cytharam conficit alius, alius qui illa canit; sic etiam obstare nihil videtur, quo minus alius atque alius sit, qui motum atque homines efficit, seu alium esse qui motum fecit, alium qui eo utitur eo modo, quo dictum est. Resp. fieri non potest, ut motu utatur, tam ineffabiliter, ad opus etiam ad quod de se minus idoneus est (nempe suscitationem variarum cogitationum in nobis) qui non penitus, & in cute, ut dici solet, eum noverit, cognoscere vero illum nullus tam profunde potest, & ad amussim quoque, qui eum non effecerit: nemo enim melius rem novit, quam qui illam fecit, cumque quid non fecimus, semper videmus nos aliquid vel in ipso, vel in modo ejus ignorare,

re, & contra cum sic alquid ignoramus clarissimo argumento convincimur, ingenueque, quamdiu ingenui sumus, fatemur, nos authores hujus rei conditoresque non esse, quod ex ante dictis satis elueſcit parte Ima.

Dices cythara canit peritissime etiam is qui conficiendæ cytharæ prorsus imperitus est; & contra qui citharam artificiosissime constructt, sape illa canere nescit.

Resp. similitudines hasce admodum claudicare, cum ad patrem hominum, conditoremque mundi referuntur: imprimis enim qui cythara canit, cantum illum non efficit: motum enim non facit, & ut modum faciat, tamen adhuc cantum non efficit, ut pote qui sit perceptio quædam animi ratione pulsus aurium, ab hominum patre in eorum animis suscitata. Secundo, qui cytharam illam facit non vere illam facit, nec enim nisi motu illa fit, is vero non movet, & ut faceret tantum materialiter illum faceret (id est asserulos certo modo conjungit fideſque desuper intendit) ut vero formaliter illam faciat, debet illam cum proportione ad usum illum facere, ad quem etiam applicatur a peritissimo cytharædo: proinde conditor motus qui illum non materialiter tantum, sed etiam formaliter fecit, fecit illum cum proportione illa, quam

vel a se vel ab ipso habet ad suscitandum in nobis cogitationes, adeoque idem prorsus est ille mundi conditor, cum hoc hominum patre.

QUINTA SCIENTIA.

Fortis est ille creator seu motor.

CORPORA *habent infinitam vim:* quare resistunt divisioni sui, motus vero sine

1 *Corpora habent infinitam*, &c.] Dices illam vim habent a Deo conditore suo, cui proinde non *magna vi* opus est ut tollat quod dedit. Resp. nulla consequentia est: quia vim illam, si tanta sit, Deus equidem majore vi superare debet, nam parvis tantum æquilibritatem ponet quæ nullum habebit effectum.

Dices iterum: corpora sunt de se indifferentia ad divisionem & cohæsionem Resp. fateor, sed tamen vis ad dividendum proportionata requiritur, & ea qua cohærent, major: ut ferrum de se indifferens est, an frangatur an integrum remaneat, si tamen frangere constitueris, vis adhibenda est, & quidem major, quam si lignum frangere constituisses: itemque major ea vi quam partes ferri sibi invicem cohærent: quamdiu enim hæc tantum æqualis fuerit, *nihil* procedet: nam æquales vires se mutuo sistunt, cum adversæ sunt seu continuæ.

Si quis hinc velit colligere, Deum forte etiam posse per omnipotentiam suam aliquid adhuc addere infinitæ extensioni. Resp. ipsi, ineffabilitatem Dei non esse transferendam ex una materia in aliam. Tum quoque hic non dicimus, Deum corpori posse vim

infi-

ne divisione fieri non potest, igitur infinita vi major vis requiritur ut corporibus motus induantur: hac vi præditum esse oportet, tam qui dividit, tam qui movet. Infinitam vim ad corporum divisiones requiri probatur ex eo, quod quantilla pars corporis sumatur, quæ dividenda sit, infinitas ea partes contineat, quæ per divisionem sunt separandæ, & a se invicem sejungendæ (divisio enim corporis quantilli in infinitum procurrit) ut parte secunda dictum est; quævis autem istarum partium vim habet aliquam cohærendi cum ea, cum qua cohæret, persistendique in statu suo, est igitur virtus infinita qua corpus divisionem molienti & fracturo resistit, hanc vim majori vi superare debet & elidere, qui divider, qui moturus est; aut ex corpore mundum facturus idem corpori motum impressurus.

Dices nos movemus, nos frangimus multa corpora satis dura, satis vasta, & infinitam vim in nobis nos experimur. Resp. Jam satis expunximus puerilem illam persuasionem, nos non movemus, non frangimus; ad arbitrium nostrum motus, quem mundi conditor effecit, & conservando continuo efficit, ita determina-

F 4 tur,

infinitâ majorem, ad resistendum divisioni, dare, sed ipsum movendo infinitam vim superare debere: Unde plane nihil hinc sequitur, quod ad extensionem ipsam applicari possit.

tur, ut frangat, ut dividat, ut moveat quædam corpora & hoc ſatis ſit: tantum enim abarcendum eſt hoc præjudicium, abigendum, & excutiendum, ut id nos nulla ratione ſumpſimus, cœca tantum opinandi libidine induci nobis ſivimus ([2] *nil enim corpore ſecundum ſe* durius pertinaciuſque, ut dividatur, effringaturque, agitari

2 *Nihil enim corpore ſecundum*, &c.] Ubi nota, nos quidem (cum quomodocunque & adhibita non noſtra ſed divina vi corpora diſtringimus) non diſtringere corpora integra ſed poroſa, id eſt, ſemifracta & foraminibus multis undique pertuſa, & male hærentia, etiamſi id oculis noſtris ſubinde non ita appareat propter exilitatem partium ad aſpectum noſtrum; Deus autem dividit corpora plena, non poroſa, non foraminulis jam ante pertuſa aut ab aliquo jam ante ſemifracta: pori enim neceſſario inferunt motum corpuſculorum vagantium in poris: cum alioqui ſi omnia in poro quieſcerent, porus impletus, obturatus, ac minime porus eſſet, ſed continuum ac indivulſum corpus: quæ vide in Phyſica noſtra. Deus ergo qui primus motor eſt, & ſolus motor eſt, corpus illud quod movendum ſuſceperat, ſine ullo motu invenit: adeoque tam durum, firmum & infractum, ut durius omnino nihil firmiuſque cogitari poſſit ad reſiſtendum, prohibendumque cogitari poſſit ad reſiſtendum, prohibendumque diviſionem: fragilitas autem quorundam corporum demum poſtea ſucceſſit, quam motus introductus eſt: motu enim introducto quædam fracta, quædam ſemifracta atque tenuia ſunt reddita; in his vero fragilitas conſiſtit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [138] - 128
PUBLIC DOMAIN

gitari vel fingi poteſt) [3] *& in hoc iterum* ineffabilis, quia infinita vis reſiſtendi, qualis in corpore reperitur nunquam ſuperari poſſe videretur, ut ſuperat, qui movet, igitur ineffabilis eſt motor, ut etiam erat hominum pater proinde hoc argumento rurſus idem.

3 *Et in hoc iterum*, &c.] Deus motor non tantum in eo ineffabilis eſt, quod infinitam reſiſtentiam movendo ac dividendo ſuperet; ſed in eo etiam quod moveat cum mens ſit (nihil enim extepta mente movere poteſt ut ante vidimus) in mente enim præter cognitionem atque volitionem nihil cogitari poteſt, at Deus ſeu mens cognoſcendo motum non movet (longe enim alia ſunt motum cognoſcere & motum imprimere ſeu movere) nec appareret etiam quo pacto volendo Deus moveat; aliud enim perinde videtur *eſſe velle movere & movere*: cum enim jam movere voluerit Deus, neceſſe videtur ut ulterius accingat, ad motum imprimendum, atque ad exequendum id quod decreto voluntatis ſuæ conſtituerat: aliud enim volitio, aliud iſtius volitionis exſecutio: nec intelligi jam poteſt modus ille, quo Deus ſe accinxerit ad movendum, exſecutusque ſit ſententiam voluntatis ſuæ de imprimendo motu: Unde fatendum eſt ingenue, nos modum illum cogitare non poſſe, & Deum motorem rurſum ab hac parte ineffabilem eſſe.

SEXTA SCIENTIA.

Sapiens eſt ille Pater atque creator.

SApiens eſt qui capit & intelligit rem ut in ſe eſt. Sicut enim oculis quidem vide-

mus exteriorem ſpeciem rei, auribus audimus aliquid ab illa dimanans, ſimile quidem de odoratu; tactu quidem propius accedimus, ſed tamen necdum interiora ſubimus; guſtu tandem intima rei guſtatæ penitus pervadimus. Sic ſapientia, (quæ a guſtatu nomen accepit) *eſt profunda aliqua penetranſque cognitio rei conjuncta cum ſumma animi delectatione.* Hanc Sapientiam nemo habet in ſummo gradu circa rem aliquam, niſi qui rem illam effecerit, & efficiendo intime poſſederit, cum igitur pater homines & creator mundum effecerit, neceſſum eſt ut is intimam penitiſſimamque iſtarum rerum cognitionem habeat, atque ſcientiam; (hæc vero Sapientia eſt) novit igitur intime quid ſit motus (hunc fecit) novitque intime corpus (hoc utitur ineffabiliter moyendo ipſum & eo velut inſtrumento nos ſuſcitando, variaſque nobis cogitationes ingenerando) novit intime mentem humanam (in quam tam ineffabiliter operatur) novit intime ſeipſum (utpote qui ſibi ſit præſentiſſimus) novit omnia intime (nam præter hæc nihil eſt) eſt igitur ſapiens & ineffabiliter ſapiens, & ſapientiſſimus, & proinde ſimpliciter ſapiens dicendus eſt. Nota varias eſſe perceptiones quæ ad ſapientiam non pertineant, ut inprimis eſt perceptio ſenſuum, quæ minime rem ipſam attingit, ſed tantum

tum illa nobis, in quantum homines sumus, quid commodi vel incommodi afferre possit, demonstrat. Secunda cognitio certa etiam, sed rem non penetrans, seu sine evidentia, seu sine claritate (ut cognitio qua videmus Deum nos homines fecisse, etiamsi enim certa sit, cum tamen modum ignoremus & utique ignorare cogamur, obscura est, inevidens, & rem non penetrans.) *Tertia*

 etiam

1 *Tertio etiam*, &c.] Duo præcedentes cognitiones sæpe sunt sine doctrina: & prima quidem (nempe sensuum nostrorum perceptio) nullam involvit unquam doctrinam: secunda Scientia sæpe pertinet ad conscientiam (ut patet in exemplo quod adfertur in textu) tunc autem etiam sine doctrina est, subinde tamen etiam cum doctrina aliqua (V. G. cum agnoscimus quod præced. §. dicitur, Deum vim infinitam corporis inter movendum illud vi majori elidere imo cum agnoscimus simpliciter Deum movere & similia nobis admodum evidentia, sed tamen propter modum suum obscurum nobis ineffabilia: tandem in tertio gradu proprie consistit doctrina, in quo clare cognoscimus res, non quidem secundum se, sed secundum extrinsecas denominationes, quas habent a considerationibus nostris V. G. clare cognoscimus, quomodo differant acclive & declive, altum & profundum, quænam sint entia, & quænam sint modi entis, genera, species, &c. hæc & similia, non tantum clare cognoscimus quo ad substantiam, sed etiam quoad modum; sed vero nec ipsa nec modus eorum quicquam pertinent ad res ipsas in se, quibus adhibentur, itaque his similibus scientiis docti quidem simus, sed nondum sapientes, quamdiu rem ipsam, *ut est in se, non attingimus*; ex quo patet,

veri-

etiam scientia seu cognitio cum evidentia; sed quæ-

verissimum esse; quod vulgo in proverbium abiit, multos doctos esse, qui iidem parum sapientes sunt. Duæ ergo priores classes cognitionum sæpe sunt sine idea, sed vel cum specie, (, ut fit in sensu) vel cum conscientia (ut sæpe contingit in secunda classe) doctrina vero & sapientia ad ideas referuntur: proprie tamen sapientia huc tantum spectat, nam doctrina versatur adhuc in considerationibus nostris. Unde sapientiam recte definies, cognitionem per ideam, seu cognitionem, qua aliquid cognoscitur in idea sua.

Nulla potest esse major delectatio, quam cum de Deo nostro aliquid incipimus intelligere, & quidem tam evidenter & clare, ut id etiam demonstrare possimus, quemadmodum hic nos jam faciemus. Huic delectationi merita quotidie aliquid temporis impendere debemus, vel soli nobiscum, vel cum aliis de hisce colloquendo, & nunc revera sumus in cœlo: nec potest esse altius cœlum quam hoc, cum de Deo nostro quid intelligimus tam clare: tunc enim ipsum Deum intuemur aliquomodo & per ænigma vel in speculo, ut loquitur apostolus. Unde concludere possumus, quanta futura est illa delectatio, cum post hanc vitam Deum visuri sumus, ut est. Huic autem delectationi non debemus semper inhærere, ut quidam præpostere conantur facere, sed alia etiam sunt agenda; vivendum & discendum aliquid præterea, quo sustineamus hanc vitam: conversandum cum aliis hominibus, &c. ut obligationi nostræ satis faciamus. lessime faciunt Philosophi vulgares, quando culpant S. Scripturam propter obscuritatem, & malam Philosophiam, quæ in illa est, quod inde evenit, quia Script. non convenit cum figmentis cerebri illorum; *illi* autem videntur sibi altum

quæ hæret in cortice & rem non penetrat (V. G. scientia qua cognoscimus & scimus res, prout subsant operationibus intellectus nostri seu modis illis ac externis denominationibus, quas ab intellectu nostro ejusque operationibus mutuantur, ut qua scimus aliquid esse pulchrum, bonum, jucundum, clarum, &c.) Tandem est scientia illa, quæ rem nude & abstractam ab omnibus modis cogitationum nostrarum, denominationibusque proponit, hæc

altum sapere & subtiliter admodum philosophori cum illis figmentis, cum tamen certum sit, illos nil quicquam sapere & in universum a tempore Aristotelis in scientiis nihil plane profectum est, quamvis in artibus mechanicis multum profectum esse fatendum sit, veteres illi fuerunt egregii Philosophi ut & ipse Aristoteles, sed postea à scholasticis corrupta est tota Philosophia; nos autem quotidie contrarium deprehendimus, & videmus, scripturam cum vera Philosophia, quam nos profitemur, egregie consentire quin nulla est subtilior Philosophia, quam in sacris literis, & ἀχριβέστατοι illi fuerunt homines sapientissimi. Ineffabile hoc est Dei beneficium, quod Christiani habent, quod nempe omnem veritatem quam Philosophi ante hac tanto labore quæsiverint, nec in plurimis invenerunt, ex sacris suis absque labore haurire possunt, sed tamen licet sciant & habeant illam veritatem: rationem illius ignorant tamen, quam Philosophus penetrare potest, adeoque summa cum delectatione consensum illum Philosophiæ cum Scriptura perspicere.

vero a *ſapientia* eſt, quam nemo videtur habere niſi qui rem illam effecerit, talis eſt conſcientia noſtra amoris, odii, affirmationis, negationis, cæterarumque in nobis actionum, eo quod ipſi eos exerceamus & efficiamus.

a Sapientia verſatur nude circa rem ipſam: quando illa res non nuda, ſed modis noſtrarum cogitationum veſtita eſt; tum verſamur circa veſtes non circa rem ipſam. Unde etiam ſapientia bene a Latinis dicta eſt a *ſapere*.

SEPTIMA SCIENTIA.

Liber eſt ille, & ſui juris.

LIberum proprie dicimus eum qui ſe ipſum determinat ad agendum, nulla neceſſitate compulſus: quo patet Deum non circa quævis liberum eſſe: non enim ei liberum eſt ſitne ipſe an non ſit, ſed neceſſarium eſt ipſum eſſe: non dico, velit nolit (quod aſperum eſt & inconditum dicere, & nemo non pius ſibi religioni verteret) ſed aliter eſſe non poteſt, & aliter velle ille non poteſt, [1] *quod forte melius*

1 *Quod forte melius*, &c.] Ubi demonſtrabitur Deum eſſe ab æterno, ſeu ſimpliciter aliquid eſſe ab æterno ſeu primum in natura; impoſſibile enim eſt ut *nihil* ſit ab æterno, ſeu primum in natura (*nihil*, enim nulla eſt affectio) *aliquid* ergo primum erit in natura, quod autem primum in natura eſt, neceſſario illimitatum eſt (cum

melius patebit ex sequentibus, ubi alteram Theo-

(cum prius sit esse quam limitari) *illimitatum* autem idem est quod *perfectissimum*, seu simpliciter *perfectum* (ut Deus) etiamsi vero deinceps limites in rerum naturam inducti sint, hi tamen non pertinent ad illum, qui ab æterno & illimitatus est; sed tantum ad illa, quæ limitibus istis restricta sunt (sicut macerjæ quæ in agro sunt positæ, quibus quædam hujus pars pomario, quædam prato, quædam horto, &c. deputata est, non pertinent ad ipsum agrum, sed duntaxat ad pomarium, hortum, pratum, &c. ex quo sequitur, sicut necessum est aliquid ab æterno esse, sic & necessario etiam cum esse semperque esse (si ita dicere fas est: nam nec hoc proprie de Deo dicitur, simpliciter cum esse dicendus est: sicut 2, & 3, sunt 5.) cum igitur post primum illud & illimitatum nihil aliud inferri in naturam, nisi limites possint, nis vero illud tolli non possit (nihil enim hi ad ipsum pertinent) patet ipsum simpliciter & necessario esse.

Elegans est simile, quod in annotatis habetur de agro maceriis distincto, & per quod bene per analogiam possumus intelligere, quomodo nostræ mentes se habeant respectu Dei. Quemadmodum enim illæ particulæ in agro distinctæ & maceriis a se invicem separatæ, & limitatæ, tamen interim partes ipsius agri sunt, ita nos sumus ex Deo & in Deo: & licet limitati sumus non possumus propterea dicere, Deum ipsum esse limitatum, quemadmodum nec ipse ager, sed partes agri maceriis suis limitatæ esse dicuntur; ponamus jam V. G. pomarii maceriem dirui, nihil hoc mali importat ipsi pomario, sed illud potius optet, destruatur maceries mea: quia tunc pomarium sit unum cum ipso agro; ita & nos cupiamus limitem nostrum destrui, nos dissolvi (ut inquit Apostolus) & esse cum Christo, quicquid enim de nobis fiat, sumus in Deo & manebimus in eo.

Theologiæ partem auſpicati fuerimus: Deus igitur liber eſt in condendo homine, in creando mundo, nihil ipſum ad hæc adegit, nulla hic neceſſitas eſt voluntate ejus prior, duo & tria ut quinque ſint, circulus ut aream habeat, mons ut vallem neceſſe eſt, Deus hoc etiam vult ſed hæc neceſſitas voluntate ejus quaſi prior eſt, & ex natura, & intellectu ejus dimanat. Sed nihil ſimile apparet in motu, nil ſimile in motione, qua Deus nos per motum in cogitationibus nŏſtris tam ineffabiliter movet, nec enim corpus motum dicit, ſeu ex natura ſua importat; nec Deus dicit, nec motus ipſe de eorum genere eſt, quæ eſſe debeant, nec denique nos ipſi ſumus, qui in cogitationibus noſtris ſucceſſionem habere debeamus, multo minus, qui eam per motum recipere opus habeamus; motus enim eſt de genere contingentium, cum & poſſit non eſſe, & aliquando non fuerit, imo & neceſſum ſit ipſum aliquando non fuiſſe, ubi habetur tota definitio contingentis [2] *& plus quam ad illam requiratur* (vid. part. ſecundam)

Cum

2 *Et plus quam ad*, &c.] Nempe ultima illa particula *neceſſum eſt ipſum aliquando non fuiſſe*, non de ratione contingentis, ſi quidem contingens eſſe poteſt, de quo non dicas, *aliquando non fuit:* & tale eſt corpus: cum enim illud non ab initio fuerit, falſum eſt de illo dicere *aliquando non fuit*, nec

Cum igitur hæc nullatenus neceſſaria ſint, de ſe enim potius non eſſent, quam eſſent (ſecus contingit in monte ut vallem habeat, & in circulo ut aream,) hæc enim ſunt, & fieri non poteſt, ut aliter ſint, ideoque nulla opus habent prævia voluntate, qua determinentur: ſed ſola natura ſeu intellectu divino hæc ejus conſtituta eſt neceſſitas, & voluntas, quæ circa hoc verſatur conſequens eſt, & non antecedens. Ex quo vides notabile diſcrimen inter ea quæ neceſſaria ſunt (id enim primum a [3] *natura ſeu*

nec tamen hinc inferas corpus eſſe ab æterno (ſatis id ſupra refutatum eſt) & aliquando non extendit ſe ad æternitatem prioritatemque naturæ; ſed tantum ad ſucceſſionem & partes ejus; prius enim natura non importat prioritatem temporis; ſic prius natura eſt palpebras aperire quam videre, unde tamen non niſi abſurde poſſum dicere, me aliquando aperire palpebras, & non videre, præſente ſcilicet lumine: ſupponendi enim termini habiles ſunt.

naturalis: naturale enim id eſt, quod pendet ab intellectu divino, antecedenter ad ejus voluntatem ſeu in quo tantam intellectus regula eluceat & nullum voluntatis decretum: ſic naturale eſt triangulum habere, angulos ſuos æquales duobus rectis, & quæ in diſciplinis de ſubjectis demonſtrantur, ſubjectis illis naturalia ſunt, perverſe autem ſcholæ & populus hæc ad quam plurima diffundit, ut cum dicet naturalia eſſe, ut corpore læſo doleamus, oculis certo modo pulſatis videamus, &c. Præſumunt enim hæc conſe-

quentia

3 *Natura ſeu intellectu divino, &c.*] Ibi inſinuatur definitio naturæ &

seu intellectu divino dependet, etiamsi voluntas

quentia simili modo ex antecedentibus suis sequi, putantque se tantum demonstrationem illam ignorare in quo vehementissime errant: nam nulla necessitate ex antecedentibus illis hæc consequentia deducuntur: sed tamen ex instituto divino libero, atque arbitrario: ut clarissimum fit ei qui se in autologia nostra non nihil exercuerit. Antesignani hujus erroris & facile principes sunt Stoici, qui quæcumque essent naturalia, necessariaque esse volebant, videri autem contingentia quædam ob ignorantiam demonstrationis, quæ ex principiis necessariis deducantur: sicut Geometris ignaris contingentia videntur multa hujus disciplinæ theoremata (quæ tamen summe necessaria sunt) V. G. *intersecantibus se & duabus rectis, angulos oppositos ad punctum intersectionis æquales constitui*: putant esse contingens, adeoque tentant, num forte relaxando arctandoque angulos, evenire non possit, ut alter hic angulus altero acutior sit obtusiorue, quæ hic persuasio de contingentia mere provenit ex ignorantia demonstrationis, qua fit ut nesciant prædictum theorema ex necessariis suis principiis deducere. Eodem modo necessarium esse contendebant te videre hanc chartam, te jam legere hos characteres (non solum necessitate supppositi aut consequentia: nam eam his necessitatem omnes concedunt sed necessitate absoluta seu consequentis) tantum videri hæc contingentia putarique quod aliter se habere possunt, ob defectum demonstrationis, quam hic ignoramus, sed etiamsi diffiteri non velim sæpe ab imperitis imo & subinde a doctis etiam non nulla haberi pro contingentibus, quæ tamen necessaria sunt, hoc tamen ad omnia deducere & hac spongia omnem contingentiam

expungere

luntas Dei accedat & assentiatur.) & inter

expungere velle, nonnisi summæ ineptiæ est, cum quædam contingentia esse necessaria & quivis hic facile folium vertat & prorsus ex simili fundamento oppositum statuat, nempe res omnes contingentes esse, ac videri quasdam necessarias, propter inanem speciem demonstrationis, qua deludamur.

Philosophus debet esse valde generosus, ut non solum videat veritatem, sed & firmiter arripiat eam, nec sinat se ab illa iterum deturbari, per argumentum aliquod allatum in contrarium, quod solvere non potest: accidit enim sæpissime, ut respondere nequeamus ob passionem sc. vel pudorem, quod nimio pudore suffundamur, quando non incidit statim responsio, quando hoc est, debemus cogitare, nos jam pendere tributum humanæ conditionis, & nostræ infirmitatis: tum etiam quod non opus sit ad omnia respondere: quid refert enim utrum tantum ad allatam aliquam objectionem scias respondere vel non? quare propterea animus non est despondendus, vel ob cupiditatem gloriæ & victoriæ vel ob præcipitantiam, quia enim nostra Philosophia à sensibus admodum abstracta est, non est mirum quod facillime, allato aliquo specioso argumento, sensus recurrant & nos confundant adeo ut interdum, si non satis ad evidentiam ideæ nostræ attendamus, incipiamas de ipsa veritate dubitare: Egregium exemplum affert Seneca, quod tale est, si quis, inquit, tibi dicat te habere cornua & sic argumentaretur: quod non amisisti habes: cornua non amisisti; ergo habes cornua: non puto te futurum esse tam dementem ut manu frontem tentes ad videndum-num habeas cornua &, quoque posset quis nos seducere tali argumento, ut persuadeat nobis 2. & 3. non esse 5. 2. non

sunt

ter ea quæ contingentia ſunt (id eſt primum a voluntate divina Dei dependent, nulla ex natura ſeu intellectu præcedente neceſſitate) vides ſecundo fontem omnis contingentiæ in aliis rebus eſſe libertatem Dei; nam in quibus nulla eſt Dei libertas (ut in triangulo omnes angulos æquales eſſe duobus rectis, aliiſque multis quæ his ſimilia mox recenſuimus) in his etiam nulla eſt contingentia. Sed dices bonitas Dei neceſſitatem his fecit, atque erat neceſſum ut mundum crearet, & homines conderet, qui tam bonus erat. Reſp. eſto hæc neceſſitas (ſi qua ſit) non impedit contingentiam, [4] *non officit libertati.* Bonitas,

ſunt 5 & 3 non ſunt 5. ergo 2 & 3, non ſunt 5, &c.

4 *Bonitas non officit libertati*] Nemo enim dicet aliquem id, quod ob bonitatem ſuam facit, ſi abſque illa eſſet, omittere non poſſe: vel quod non facit, ſi abſolute vellet facere non poſſe, ut ſi quis homo bonus & manſuetus ab alio gravi injuria afficiatur, poſſet quidem ſi vellet graviter ſe ulciſci, ſed non faciet equidem, quia tam manſuetus eſt; hoc pacto etiam de Deo ſentiendum eſt, perverſe enim homines multa denegant Deo, quæ tamen ille omnino facere poſſet niſi vel inſignis eius miſericordia, vel bonitas, vel juſtitia, vel ſimile quid obſtaret, ut V. G. peccare; ſic Deus creavit mundum & homines; dicat aliquis, an Deus non potuiſſet homines non creare. Reſp. ita, ſed, dicit, nimis bonus eſt, faciet ergo dico: creavit homines ſed inde non ſequitur, quod eos non creaverit libere; ita, cum humanum genus peccaſſet, Deus redemit illud; potuiſ-

nitas enim seu inclinatio faciendi hoc quod præstat, idque semper agendi, quod optimum erat, non eripit libertatem, quia voluntate posterior est hæc bonitas adeoque cum libertate bene compatibilis, & nulli de libertate discedit, si melior fuerit, atque ad id, quod expedire judicaverit, propensior.

potuisset id utique non facere; sed obstabat ejus misericordia: angelos lapsos non redemit; quod utique tam bene potuisset facere quam homines redemit: sed obstabat justitia ejus, omnia autem ille nihilominus fecit libere. Quid enim, quæso, officit libertati quod agens determinatus sit nonnihil magis ad unam quam in aliam partem: eo magis libere certe hoc aget.

OCTAVA SCIENTIA.

Ille est Dominus necis.

ILle enim solus nos potest ex corpore sumere, qui nos cum illo copulavit; quæ disjunctio in eo consistit, quod non amplius mediante corpore & motu agat in nos: ille igitur solus suspendere potest hanc actionem vel abolere, qui illam instituit, cum igitur ineffabilis sit agendo in nos instrumentis tam inidoneis, rursum quædam exequendo, quæ nos per motum exequi voluerimus: nullus sane est, qui actionem illam impedire possit, si non ille eam sufflaminaverit, instituit autem

tem

tem ipſe quantum ſenſu & conſcientia conſequi poſſumus, ut non diſcedendum nobis ſit ab hoc corpore, ſeu denaſcendum quam pars ejus aliqua frangi debilitarique cœperit. Hæc pars eſt cor, nam id ut focus, aut aliquid foco ſimile reliquum corpus noſtrum vivificat (quæ vid. in phyſica) itaque non niſi motu adhibito liberamur ab hoc ergaſtulo, & corporis compagibus, etiamſi enim aliqui fame & inedia pericrunt, hoc tamen non ſine motu factum, quo flamma cordis & lampas vitæ exſtinctæ ſunt (nec enim niſi novo, ac inuſitato motu extinguuntur) voluit igitur, qui nos homines fecit, ut tandiu in hac conditione perſiſterimus, quam diu pars aliqua corporis noſtri importuno motu vexata & lacerata non eſſet, ex quo clare ſequitur eum qui Pater noſter eſt, quique nobis largitur vitam & homines facit, ſolum eſſe qui nos liberet, diſſolvatque, & humana exuat conditione, motum eum nemo facit, niſi ipſe, ut antedictum eſt: eſt vero; non ſine motu ſolvimur & homines eſſe deſinimus, is ergo ſolus eſt qui occidit, vivificat, homines quidem ſubinde homicidæ ſunt, non quaſi ipſi occidant (hoc enim proprium eſt ei, qui dominus necis eſt) ſed quia ipſi velint, & *ad voluntatem illam ille* qui domi-

1. *Et ad voluntatem illam ille.*] Voluntas noſtra

minus necis est, motum subinde accomodat, non quia ipsi velint, sed quia ipse illis volentibus hoc velit, vide in Ethica

nullum habet influxum, causalitatem, determinationem, aut efficaciam quamcunque in motum: qui quidem hodie bene philosophantur, satis nos vere causalitate & efficientia motus interdixerunt, reliquerunt, seu assignarunt potius aliquam determinationem motus humanis mentibus: sed cum cogitationes nostras bene excutimus, nullam apud nos invenimus ideam, seu notionem determinationis; quod enim paries motum pilæ in se impulsæ in oppositam partem determinet, quodque gubernaculum navis motum, quem navis a ventis aut aquarum lapsu accipit, varie determinet, quodque similiter alia corpora, aliorum corporum motus diversimode flectant, dirigant aut torqueant, hoc intelligimus, ideam & notionem talis determinationis satis expressem apud nos invanimus sed vero ut mens nostra simili aliquo modo se habeat ut ad regendos dirigendosque in varia sui corporis membra spiritus requirimus, hoc sane intelligi nullo modo potest, restat igitur Deus solus primus motor & solus motor, qui & ita motum ordinat atque disponit & ita simul voluntati nostræ licet libere moderatur ut eodem temporis momento conspiret & voluntas nostra ad projicendum V. G. pedes inter ambulandum, & simul ipsa illa pedum projectio seu ambulatio. Videmur quidem nobis habere vim aliquam in motu, sed causa istius apparentiæ est nuda illa conjunctio, qua cum voluntate nostra movendi sæpe conjungitur motus, quod fieri potest sine ullo nostro in motum ejusve determinationem influxu, & ita de facto fieri evidens est ex jam dictis, in his interim ineffabilitatem aliquam *Dei agnosce & adora.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [153] - 143
PUBLIC DOMAIN

ca comparationem de pusione in cunis posita : itaque illi non occidunt proprie loquendo, sed tantum volunt, quæ voluntas in illis tota manet, & tantum extra illos deducitur a motore, eatenus vero non est ipsorum actio sed motoris : & motor quidem subinde motum denegat (quod in paralyticis defessisque usu venit) sed raro, quo ad hoc negotium : dum enim constituit inhibere, potius in voluntatem ac mentem eorum agit, qui occisuri videbantur, eosque alio inclinat, nam hoc est illustrius, majorisque sapientiæ, & potentiæ & ipso dignius: agere enim & patrem illum, & creatorum illum etiam in mentem ac animum nostrum, videndum erit in secunda parte Theologiæ.

NONA SCIENTIA.

Ipse est æternus.

HActenus Deum consideravimus, quatenus ad humanam conditionem concurrit, quatenus nos homines fecit, & consequenter quatenus mundum faceret, homines enim facere nos non poterat, nisi mundum faceret, extat sublimior & admodum obstracta Theologiæ pars (quam veterum pauci attigerunt, tum molestia, tum errorum periculo deterriti,

ti, cum hodie ad insaniam partem hanc exaggerant, non viri modo atque philosophi, *sed pueri pene atque mulierculæ*) in qua agendum est de Deo antecedenter & prævie, ante mundi creationem, hominisque generationem considerando: & primum quidem homine naturâ priora sunt, mens, motus, atque extensio. Mens quidem est veluti materia nostra, ut in Ἀυτολογίᾳ demonstrabamus: corpus vero atque motus sunt forma nostra, quatenus homines sumus, motus ab initio esse non potest, nedum ab æterno, Corpus initio fuit, ab æterno esse non potuit (hæc demonstrata sunt in Σωματολογίᾳ) Mens quidem nostra ordinem nullum cum corpore dicit, nec enim natura ejus aut corpus, motumque antecedere, aut hoc subsequi importat, & ut forte mens nostra

G mo-

1. *Sed pueri pene & mulierculæ*,] Merito taxatur cacoethes seculi nostri, periculosissimo enim saltu infinitum pene intervallum aut potius præcipitium Metaphysiæ Ἀυτολογίας, Σωματολογίας, & primæ Theologiæ transmittentes, conjiciunt se statim in abstrusissimam per plexissimamque Theologiæ partem, de qua ex phantasmatibus suis, & præconceptis opinionibus differentes, se ipsos pariter atque alios indissolubilibus erroribus, vanitatibus, & superstitionibus implicant atque innectunt. Cavendum igitur ab his, & verâ semitâ pedibusque magnæ lentæque patientiæ *huc veniendum est, non vero icariis impatientiæ alis huc advolandum.*

motu prior sit, certe ordinem nullam ad corpus dicet, neque omnino *sciri potest*, an corpore natura prior sit, an posterior, optimum dictum videtur, si ea simul esse statuerimus: sed etiamsi mens nostra statuatur in initio fuisse, sicut corpus, certum tamen est, eam ab æterno esse non potuisse, nam ab æterno est, quod in natura primum est; mens vero nostra non est prima, nam pati potest, & quidem ab alio pati potest, imo de facto patitur, ut ex pri-

2. *Neque sciri*, &c.] Imo scitur satis bene mentem nostram qua mens est, neque priorem neque posteriorem esse corpore, neque enim mens nostra præsupponit corpus, sed penitus independens est ab illo (cum mens nostra nihil aliud sit quam cogitatio quæ quidem teste intima experienti & conscientia, potest a corpore ejusque motu varie modificari, sed ipsa nihilominus in substantia seu essentia sua penitus a corpore independens esse intelligitur) similiter neque corpus præsupponit mentem nostram, mentem quidem præsupponit corpus (hoc in Σωματολογία facile vidimus) sed non supponit mentem nostram: cum clarissime conscii nobis simus, nullam nobis esse vim aut potestatem in corpus, omniaque quæ de corpore scimus jam prævie quasi & ante nostram cognitionem esse in corpore: ut illa quodammodo nos in corpore legimus, non vero inscribamus, quod Deo proprium est, ex quo interim videri possit alicui corpus esse prius natura cognitione nostra de corpore, quod & verum est, sed non sequitur inde quod corpus sit prius nobis seu substantia nostra prout mentes sumus

-ita-

prima parte manifestum est, ubi ostendimus Deum mediante corpore & motu varie in mentem nostram agere: jam vero agens patiente prius est, nam prius est agere, quam actionem illam recipere; cum igitur mens nostra pati possit ab alio (qui etiam mens est, ut ibidem parte prima ostensum est) necessum est, ut alius ille mente nostra hactenus prior sit, si vero quatenus agere prior sit mente nostra quatenus patiente, [1] *ergo quatenus patiens agere absolute* prior est

itaque corpus & mens nostra simul natura sunt hoc ipso quo neutrum præcedit neutrum, alterum sequitur in natura.

3 *Ergo quatenus patiens*, &c.] Dices si hoc argumentum aliquid efficeret, deberet mens nostra etiam absolute posterior esse corpore & motu.

Resp. Deus non potuit corpus trahere in *ante* successionis, quia illud erat, ante quam mundus crearetur (adeoque ineptа est quæstio, utrum Deus potuerit centum annis ante condere, quam fecit) nec in *ante* naturæ quod nihil aliud est, quam esse causam omnium rerum, adeoque Deo soli competit corpori vero minime; corpus autem est in initio successionis, adeoque ante mundum scil. in *ante* successionis: Deus vero est ante ipsum corpus, sed in alio genere, nimirum in *ante* naturæ quæ duo male confunduntur, vulgo transitur enim ex uno modo loquendi ad alium, similiter ac si dicerem, supra domum est tectum, supra tectum est aër, supra aërem elementum in genere, supra elementum in genere corpus in genere, supra hoc ens in genere. Deus itaque nec diu nec parum fuit ante mundum conditum, sed

fuit

mente noſtra, quatenus illa apta eſt pati & ab eo accipere, ex quo ſequitur mentem illam quæ in nos agit, quæque per corpus & motum in nos agit tam nobis tam mentibus noſtris, corpore atque motu natura priorem eſſe, extra hæc autem nihil cogitari vel fingi poteſt, igitur illa mens quæ nos fecit, & mundum, æterna mens eſt, nihil enim eſt præter mentem & corpus, horumque modos: corpus hujuſque modi ab æterno eſſe non poſſunt (ut patet ex parte ſecunda) debet igitur mens eſſe, quæ prima ſit in natura, ſeu ab æterno: non mens noſtra aut alii aliqui mentis modi ſeu ſpecies (ſi quæ eſſe poſſunt tales, Deus enim Philoſopho diſputandum non eſt) nam modi omnes ii atque ſpecies ſunt poſteriores ipſa mente, res non præcedit natura modum. Reſtat igitur mens ipſa à nobis diſtincta, aliiſque omnibus mentis ac intelligentiæ modis, quæ prima ſit, ſeu ab æterno: ea vero eſt eadem mens, quæ nos homines & hunc mundum fecit.

DE-

ſuit (improprie loquendo) in æternitate ſua quæ æternitas complectitur infinita tempora. Deus autem potuit efficere, ut ab initio mundi huc uſque plura ſecula efflu-xerint, quam nunc factum eſt: non potuit autem eum ante creare quam creavit, ut vidimus, non magis quam numerus centenarius ante primam unitatem trahi poteſt utpote ante quam nihil eſt.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [158] - 148
PUBLIC DOMAIN

DECIMA SCIENTIA.

Ille est (1) *a se.*

SEquitur necessario ex eo quod æternus sit, qui primus est in natura, ab alio esse non potest: nam hoc ipso prior alius ille foret, cum lumine naturæ notissimum sit, prius esse quam alteri dare *esse*, seu prius sit necesse est, quod alteri *esse* det.

1. In illo *a se* non est adhuc notio seu idea sed aliquid ex idea sequens: melius itaque Deus diceretur esse *res* simpliciter vel mens simpliciter ut Anaxagoras optime dixit olim.

Mens non limitatur ad extensionem sed continet eam, non formaliter quidem, sed eminenter: quod longe plus est. Mens autem sola hoc habet, quod contineat eminenter: involvit enim actionem & effectionem aliquam eminens illa continentia, non competere ergo potest corpori, sed quomodo Deus seu mens illa simpliciter contineat eminenter corpus iterum ineffabile est.

UNDECIMA SCIENTIA.

Ille est Perfectissimus.

CUm enim a se sit, sibique ipse dator sit essentiæ & naturæ, non est cogitabile qua ratione limitatam & imperfectionibus circumscriptam nanciscereturnatu-

ram: nihil enim obstitit ei quo minus totum invaderet, qui primus erat quique a se erat, & ab omni alio independens, imo cum esset primus, erat ipsa natura, erat quicquid tunc esse poterat: nulla ergo imperfectio erat: nam imperfectio limitationem aliquam dicit, circumscriptionem, terminationem, angustiam: oportet autem ante has esse laxum, illimitatum, incircumscriptum: nam natura prius est laxum esse quam limitari, diffundebat ergo se in omne genus perfectionum, omnesque sibi accersebat, imo omnes ille erat, hoc ipso quo primus erat. Cognoscit igitur, nam in hoc perfectio est: vult, nam ad eandem naturam pertinet cognoscere & velle, ut nobis constat, eodem nos & cognoscere & velle, anteaque offendimus conditorem illum mundi atque hominum utrumque ex æquo agere, cognoscere inquam & velle. Non est tamen extensus, nam primus est, extensio vero deinceps; & licet etiam prius sit cognoscere quam velle tamen ad eandem naturam pertinent; secus atque contingit in extensione, quæ in eandem naturam non quadrat, cum cognitione atque volitione. Multas hic possemus attexere perfectiones, sed quid opus? cum perfectissimus sit, necessum est ut immutabilis sit, seque in perfectionibus suis contineat, quique ita se continere potest, ut omnipotens sit, quique tam

po-

potens est, ut omniscius sit, &c.

DUODECIMA SCIENTIA.

Est ille creator omnium.

SEquitur ex eo quod æternus sit, cum enim sit ante alias res omnes in natura necessum est ut has fecerit; alioqui nulla esset ratio cur ipse ante eas esset, imo ipsum ante eas esse nihil est aliud, quam eas efficere: quod tum demum intelliges & rite capies, quando mentem bene purgaveris, ab illo paradigmate efficientiæ, quæ per motum instituitur: sumsimus enim nobis omnes inter infantilia nostra præjudicia etiam *schema aliquod actionis* & efficientiæ, quod totum in motu consistit. Sic putamus architectos ædificia, fabros scamna, sartores vestes facere, eo quod moveant quædam, quantum nobis apparet (nam non vere movent ut dictum est) hoc schemate abutimur postea regula quadam & exemplo ad omnem efficientiam intelligendam: Itaque cum audimus a sapientibus Deum omnia condidisse & fecisse, imaginationem nostram ad schema efficientiæ, quod jam dudum recepimus, admovemus & simili schemate intelligere volumus Deum corpus, mentes nostras fecisse, in qua imaginatione & fallimur, & multum deridiculi sumus constituentes motum ante motum, corpus ante

corpus: cum enim Deum motu corpus efficientem induimus, ponimus jam ante ſpatium, in quo ille motus fiat: ſpatium vero corpus eſt, & ſic corpus ponimus ante corpus, inſulſo prorſus & præpoſtero modo res divinas ſpeculantes.

Nihil igitur aliud eſt Deum hæc facere, quam his eum priorem eſſe, his intellectu regulas eſſentiæ ac proprietatum dictare, & voluntate efficaciter velle, ut hæ regulæ ratæ ſint, ut ante dictum eſt, etiamſi vero mens noſtra non ſit res bruta *abſolute loquendo*, in quibuſdam tamen nempe in receptione idearum ſuarum, in unione cum corpore, diſſolutioneque ab eodem prorſus bruto modo ſe habet, nec enim hæc a notitia ejus aut voluntate dependent, igitur etiam illa creata eſt, & hoc ipſo quo non eſt prima, a prima mente dependet.

Ex quo facile patet illud ex *nihilo* nullum ſibi proprie locum in creatione vendicare: non enim *nihil* ante eſt, & deinceps *res*, ſed in eo tota conſiſtit natura creationis, quod Deus in natura primus ſit, aliæ res deinceps ab illo dependentes, unde non potius ex nihilo fiunt, veniuntque quam Deus, nam & nihil erat ante Deum.

Hæc ſunt quæ neceſſario ad Metaphyſicam conſtitutionem pertinent: amplificari, prolongari quidem poſſet hic tractatus, ſed hæc quæ dicta ſunt, ſatis eſſe judicamus.

AR-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [162] - 152
PUBLIC DOMAIN

ARNOLDI GEULINX

METAPHYSICA,

AD MENTEM

PERIPATETICAM

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [163] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [164] - -

PUBLIC DOMAIN

ARNOLDI GEULINX,

METAPHYSICA,

AD MENTEM PERIPATETICAM.

VEra Sapientia considerat res ut sunt a in se, abstractè a modis nostrarum cogitationum, quibus circa illas versari solemus itemque a denominationibus externis, &

a Nos non debemus res considerare prout sunt sensibiles (id est sub certa specie incurrunt in sensum) neque ut sunt intelligibiles (id est sub certo modo a nobis cogitantur) sed ut sunt in se, non possimus eas considerare unde videmus magnam nostram imperfectionem. Hoc unum igitur restat nobis faciendum (quod & possumus & debemus facere) ut judicio mentis, quotiescunque rem aliquam sub modo aliquo cogitationis nostræ apprehendimus (quod equidem super facimus, nec possumus aliter dum homines sumus) semper hoc teneamus, rem non esse ita in se, ut apprehenditur a nobis.

Etiamsi nos semper phasmata sensus & intellectus ipsis rebus tribuamus, tamen est aliquid divinum in nobis, quod semper dicit nobis, non esse sic, & in hoc unico consistit nostra, quatenus homines sumus, sapientia.

vocibus noſtris ac nominibus, quibus eas appellare ſolemus: habetque ſibi hoc altiſſime infixum *propter noſtrum dicere nihil mutatur in re*, quod non tam Ariſtotelis quam ipſius ſapientiæ oraculum eſſe videtur. Res quidem ſenſibus ſubjectas vera ſapientia abſtrahit a ſpeciebus & imaginibus, quæ per ſenſum iis affingi, & adſcribi ſolent, easque ſic abſtractas contemplatur in Phyſica; res vero quæ ſub ſenſum non ſubjiciuntur, abſtrahit vera ſapientia, atque præcidit a modis cogitandi noſtra intelligentia à phaſmatibus & ſpeciebus intellectualibus: non minus enim quod pauci videntur obſervaſſe, intellectus noſter modos ſuarum cogitationum rebus a ſe cogitatis tribuit, quam ſenſus rebus a ſe perceptis ſpeciem, quam ipſe in ſe habet, affingere, & quaſi appingere ſolet: & res ſic abſtractas a phaſmatibus intellectualibus, conſiderat vera ſapientia in Metaphyſica. Doctrina autem Peripatetica (quæ ideo non ſapientia eſt) conſiderat res quatenus inficiuntur modis noſtrarum cogitationum, & in Phyſica quidem conſiderat res ſubjectas ſub ſenſum, quibus extrinſece per ſpeciem illam & imaginem ſenſus denominantur calidæ, frigidæ, albæ, graves; in Metaphyſica vero

Philoſophi ita ſe habent reſpectu populi, quam viri reſpectu puerorum: quæ ἀντιλογίαι admodum eſt oppoſita.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [166] - 156
PUBLIC DOMAIN

vero considerat res sensum fugientes, quatenus hæ substant modis intelligentiæ nostræ, ab iisque extrinsecus denominantur: non quasi id sciens atque intelligens, res quas contemplandas sibi præstiterit ita affici extrinsecus, ita denominari a modis nostrarum cogitationum, sive intellectus sive sensus; sed quasi credens firmissime que tenens res eas in se tales, existere secundum se sub illa specie aut phasmate, sub quo sensui aut intellectui apparent: in quo puerilis error est (cum alioqui in alio illo vera sapientia sit) pueris enim maxime proprium est, modos suarum cogitationum adscribere rebus cogitatis, non tantum sensu, & intellectu (nam & hoc viris commune est) sed etiam judicio, ut pueri baculum quod partim in aqua demersum, partim extat in aere, fractum esse non tantum oculis vident (nam & hoc viri patimur) sed etiam mente judicant, in quo vere pueri sunt, solentque nobis sic decepti, & a sensuum suorum præjudiciis circumventi, risum incutere. Perinde Peripatetici cum pueris comparantur, ut qui species suorum sensuum soleant adscribere (non sensu tantum sed etiam judicio) rebus sensu perceptis; nec minus rebus intellectis adscribunt, non intellectu tantum (nam & hoc vere sapientes faciunt) sed judicio rationis modos suos intelligendi, vocantes eas (sed non

est hoc satis) imo existimantes, imo firmissime tenentes, eas esse in se substantia aut accidentia, aut qualitates, aut relationes aut partes, aut tota, &c. quorum nihil potest in res ipsas quadrare, sed totum id pendet a modis intelligentiæ nostræ, totum inquam id *nostrum dicere* est propter quod nihil in re ponitur, nihil mutatur, ut habet oraculum sapientiæ.

§. 2.

Pronitas humanæ mentis ad affigendum modos suarum cogitationum rebus cogitatis.

Hæc proclivitas seu pronitas in sensibus nostris tam est manifesta, ut fere manu tentari posse videatur: Cum enim remus, qui partim sub aqua conditur, partim eminet in aëre, fractus videtur; cum item titione forte vesperi in tenebris circumacto, circulus igneus obversatur oculis (& hujus farinæ innumera alia, quæ vulgo in scholis, sensuum fallaciæ vocantur, si opus esset, afferre possemus) Certum est nos modum sentiendi nostrum, seu speciem illam quæ in nobis sensuque nostro versatur, attribuere objecto seu rei per sensum perceptæ: perinde enim nihil constat, nihil clarius esse potest iis, qui non ex ephebis modò, sed verò ex incunabilis jam excesserunt, quam quod remus ille non sit fractus, &

& quod titio ille non sit circulus igneus; remus enim ille est baculum, partim per aërem, partim per aquam transparens (quod longe aliud est quam remus fractus,) & titio ille non est circulus igneus, sed ignis in circulum actus (quæ perinde inter se diversa sunt) cum igitur res ipsa hic non sit talis (remus non sit fractus, ignis non sit in circulum dispositus) necessum est, cum nobis equidem sic esse videatur, ut hoc sit in visione seu specie nostra (quod & omnes fatentur, seu *in confesso* est apud omnes) sed verò cum visio illa seu species sit in nobis; non finimus illam ibi, nec consideramus illam ut ad nos pertinentem, sed pertinentem ad objectum, & ipsam fractionem applicamus in casu posito ad remum extra nos existentem; & circulum attribuimus igni extra nos existenti. Ubi vides manifeste pronitatem illam sensus, qua speciem suam appingit quodammodo rei a se perceptæ; hæc vero species modus quidam est ipsius sensus, seu istius cogitationis, quæ sensus vocatur.

Quin imo tanta est sensuum nostrorum in hanc partem proclivitas, & inclinatio, ut vix aut ne vix unquam quidem soleant objectum aliquod amplecti, cui non speciem aliquam & modum cogitandi suum allinant: est enim in vera Physica evidentissimum, non posse res in se subsistere tali spe-

ſpecie & phaſmate quo incurrunt in ſenſus: non poſſe eſſe in ſeipſis, albas, lucentes, calidas, frigidas &c. (nam in natura corporea, unde ſpecies illæ in nos emanare videntur, præter extenſionem & motum nihil cogitari aut fingi poteſt) tales tamen videntur ſenſui: igitur tales ſunt in viſione ſenſus, ſeu in ſpecie atque apparentia; quam equidem apparentiam ſenſus apud ſe latere non ſinit, ſed quaſi avulſam atque ſibi detractam applicat rebus extra ſe exiſtentibus, tam tenaciter, ut operationis apud pleroſque mortalium, inde divelli nunquam poſſit: vulgus enim omnes, imo & fere omnes Philoſophorum Scholæ, non tantum ſenſu ſpecies illas albedinis nivi, ſplendoris ſoli, caloris igni, &c. (quod & fere ſapientes omnes patiuntur) ſed etiam judicio mentis, atque rationis affingunt: eoſque qui eas inde detrahere, ſapientes & in ipſum cui debentur, refundere volunt, non niſi ſubtiles & exploſione dignos autumat.

Et notatu dignum eſt, ſpecies quidem plerorumque ſenſuum adſcribere nos ſolere rebus extra corpus noſtrum exiſtentibus, quæ occaſionem præbent iſtarum ſpecierum: ſic lumen ſoli, calores corporibus terrestribus & ſimiliter ſopores, odores, adſcribimus rebus extra corpus noſtrum exiſtentibus in mundo, quæ præ-

bent

bent motu ſuo occaſionem nobis talium ſpecierum, & a quibus ſpecies illas diffundi & per organa ſenſuum noſtrorum (oculos, aures &c.) in nos uſque profluere & dimanare exiſtimamus. Solus fere tactus eſt qui e ſenſu doloris item titillationis non adſcribit ſpeciem extra corpus noſtrum motu ſuo dolorem atque titillationem inferentibus; ſed adſcribit illas ſpecies certæ parti noſtri corporis, in iiſque putat eas hærere, ſpeciem V. G. doloris non adſcribit cultro ſecanti & vulnus infligenti (ſicut lumen adſcribimus ſoli) ſed parti læſæ & vulneratæ (quemadmodum lumen non adſcribimus noſtris oculis tanquam in illis hæreat) ſimiliter ſenſum ſeu ſpeciem titillationis putamus eſſe in lateribus noſtris ſeu plantis pedum; non vero in manu partes illas leviter irritante. Tactus verò in aliis ſuis perceptionibus ſequitur communem curſum & adſcribit ſpeciem caloris, frigoris: aſperitatis, mollitudinis, &c. rebus extra corpus poſitis (igni, nivi, arenis, veſtibus, holoſericis) unde ſpecies illæ dimanare putantur, & in tactum transfundi. Speciem vero famis, atque ſitis neque objectis externis, neque alicui parti noſtri corporis, ſed nobis ipſis adſcribere videmur: Etiamſi enim in ſitibundis fauces certo modo diſpoſitæ ſunt, itemque in famelicis ventriculus

certo

certo modo sit affectus, non referunt tamen sitientes & esurientes speciem illam, qua tunc perfunduntur, in ipsas fauces, & ventriculum, (nisi forte cardiologia, seu morsus ventriculi conjungatur fami: tunc enim quasi admonentur ut ventriculum respiciant, tanquam causam istius affectionis, imo ut præditum ista affectione quæ fames vocatur) unde pueri, cum famere aut sitire se dicunt, animi forte gratiâ, interrogati, ubi fameant aut sitiant, partem nullam sui corporis assignare sciunt, nisi forte aliquando os suum ostendant, potius locum per quem remedium adhibendum censent, quam in quo ipsam speciem famis aut sitis consistere putent. Simile quid est de passionibus nostris (inter quas fames sitisque vel certe ad quas accedit quam proxime) cum enim hæ etiam perceptionem aliquam speciemque involvant, imo & in ea specie essentialiter & formaliter consistant, & consummentur; non solemus tamen speciem istam neque objectis externis, neque alicui parti nostri corporis assignare, ut occurrente forte inimico, cum odium nos aut timor incesserit, non putamus tamen inimicum habere talem in se speciem, qua affici nos sentimus, cum odimus aut timemus, speciemque istam a se diffundere & in nos quasi conjicere (sicut simile quid exi-

existimamus de sole lumen a se diffundente & per oculos nostros in nos ipsos insinuante) neque etiam existimamus speciem illam ad certum corporis nostri membrum pertinere: etiamsi enim cor nobis certo modo affectum sit, cum timemus aut odimus; speciem tamen illam odii aut timoris cordi non adscribimus, sed nobis ipsis reservamus; & affectionem illam cordis, ut distinctam penitus a passione (odio vel timore) tanquam molestiam aliquam aut dolorem in corde existentem consideramus.

Ratio diversitatis refundenda est in hoc quod infantes nati simus (nasci verò nobis non est, quod vulgo, scil. in lucem prodire, sed corpore jungi & hominem fieri) cum enim uteris matrum nostrarum primum inclusi fuerimus & ad notabile vitæ nostræ tempus in ergastulis illis, vinctâ & obligatâ ratione nostra (qua de causa Christiani dicent) degerimus: hinc quidem inibi neque adspectum, neque auditum, reliquosque sensus magnopere exercuimus; fame vero atque siti, & animi pathematis eodem fere modo, quo matres nostræ affecti fuimus, quarum corporibus nostra corpora includebantur, & cum quibus quasi unum quid constituere videbantur: post aliquot vero menses per partum editi in lucem & de tenebricosis

fis illis ergaſtulis prodeuntes, infinita alia quæ ante hac ignoraveramus, agere in corpus noſtrum, & ſpeciem animis noſtris infundere cœperunt : imprimis lumen & infinita illa colorum varietas : de quibus in Cymerica Republica nihil : deinde ſoni, qui ſi aliqui ad nos in ergaſtulis illis degentes pertinuerint, certe non niſi languidè pertinuerunt : atque idem eſt de odoribus atque ſoporibus, itemque de colore & frigore, aliiſque ſimilibus tangibilibus qualitatibus : fere enim ibi eodem tenore ſe habebant ſemper atque adeo ſenſum non movebant (ſicut ſimili de cauſa aërem tactu ſeu palpatione percipere non videmur, niſi is flabello forte, vel alio aliquo præter ſolitum modo in nos agatur: itemque capillos non ſentimus in vertice noſtro ; cum vero promiſſi ſatis ſunt, & in faciem noſtram caſu aliquo feruntur, ſentimus eos, aut potius tunc demum ſentire eos nos animadvertimus) unde fiebat ut ſpecies illas, quaſcunque nobis offerrent, non ad ipſas illas qualitates, ſed ad nos ipſos referremus. In lucem verò prodeuntes ut dixi, & infinitis illis novis ſpeciebus affecti, cum, quæ ante habueramus, ea noſtra eſſe merito exiſtimaremus : incepimus jam tum novas illas ſpecies, novis quæ circumſtabant rebus, adſcribere : conſiderabamus enim nos tanquam

quam jam ante completos, & proinde si quid nobis novi accidebat, id iis rebus acceptum referebamus, quas occasionem istius novitatis esse putabamus : hinc etiam diversitas illa quæ inter sensum doloris titillationisque (quem corpori nostro attribuimus) & reliquos sensus (quos objectis adscribere solemus) consistit, explicari potest : sensus enim aliqui (luminis, colorum, &c.) non magnopere mutant corpus nostrum, non variant aliquid in crassa illa & sub sensum subjecta figura; dolor vero atque titillatio, eam figuram notabiliter mutant: hinc enim factum est, ut reliqua quidem species in objectis; doloris vero atque titillationis speciem in corporibus nostris esse putaverimus.

Atque hæc de cogitationibus, quas patimur a corpore, seu interventu corpore & modis istarum cogitationum, ut illos rebus extra nos positis adscribere, & velut appingere solemus. Dicendum jam de iis cogitationibus, quæ de se independendentes sunt a corpore, & quas non invenimus hic (utalias illas quodammodo invenimus) sed quas nobiscum quasi huc detulimus : non minus enim modos harum cogitationum adscribimus objectis, quam species nostrorum sensuum : inde enim vocamus quædam objecta nostra, *substantias, accidentia, relationes, subjecta,*

præ-

prædicata, tota, partes, &c. quæ omnia cum tantum dicant modos aliquos noſtræ intelligentiæ, ſolemus tamen ea conſiderare quaſi res aliquas, quæ ipſæ in ſe infectæ ſunt iſtis phaſmatibus intellectualibus: quod ita eſſe docent nos ſophismata logicorum, quæ bonam partem inde captionem & fallaciam ſuam deſumunt. Quod aliàs res aliqua ſecundum ſe, alias prout phasma cui ſubſtat, proponatur: V. Gr. hic, animal affirmatur de homine; bos eſt animal, ergo bos affirmatur de homine: ibi animal in majori quidem ſignificat modum quendam cogitandi noſtrum, quem modum ſolemus *Prædicatum* vocare in logica: in minori vero ſignificat certam aliquam rem ſecluſam a tali modo cogitationis: intricatio autem illa atque confuſio, qua *ſophiſtices* ignari & confundi ſolent & intricari, his & ſimilibus ſophismatis propoſitis, ſatis magno argumento eſt ſolere homines illos modos ſuarum cogitationum (nempe ſubjectum, prædicatum, &c.) in res objectas transfundere & tanquam ad eas ſpectantes conſiderare: cum tamen hi modi ad ipſos, & non ad res objectas pertineant. Hiſce modis agendi, humanæ menti attexitur quædam laſcivia, qua quidem non cogitandi modo, ſed cauſam certo modo cogitandi attribuimus rebus cogitatis,

tatis seu objectis externis : cum tamen subinde causa illa tota in nobis sit : sic si causam istius speciei affectionisve, qua sole adspecto ingenti (a) lumine perfundimur,

(a) Objiciebant olim quidam, quod lumen in sole clarissime esse appareat, color albus in pariete:

Resp. Impossibile est, ut illa aliter, quam tanquam in objectis suis videantur; sed judicio mentis aliud semper tenere debemus, apprehensio enim nunquam est in re sed in nobis : nihil autem præter apparentiam in sensus incurrere potest.

Protervia ista fuit nostrum primum peccatum quod quia nihil nos ad id invitavit, libere commisimus. Hoc unum peccatum postea per totam vitam semper peccamus & consistit illud in actuali inclinatione ad id faciendum quod Deo displicet, & ad contraveniendum legi divinæ : & ineptum est quod in scholis dicitur peccatum originale consisti in habitu quodam, in mente enim nullus potest esse habitus : ut pote quæ est purus actus, adeoque habitus in illam non cadit; in illo autem peccato consistit omnis nostra miseria, & non possumus illo carere, dum in humana conditione sumus, licet enim firmiter in animam inducamus, quod velimus parere legi Dei & voluntati ejus, tamen semper occurrit nobis aliquid, quod æque bene optamus, ut divitias, honores, &c. & licet in optimis cogitationibus versemur, insciis interdum etiam nobis adhæret ista labes : & quicquid facimus, non possimus contra : unde Paulus recte quiritatur: *miser ego homo quis me liberabit*, &c. quemadmodum etiam impossibile nobis est species sensibiles sensu apprehendere tanquam in *nobis*, & non

mur, ipsi soli adscriberemus, non erraremus

non tanquam in objectis: vel res intelligibiles intellectu apprehendere sine modis nostris cogitandi, quid autem ibi facere debemus, nimirum judicio mentis perpetuo contradicere, & nobiscum statuere res illas non habere in se species illas, quas sentimus: nec existere in se sub modis istis, sub quibus nos eas, & sine quibus non possemus percipere. Illud etiam hic faciendum est (quod & faciunt omnes pii & veri Christiani) nempe quando sentimus illam inclinationem ad contraveniendum divinæ voluntati in nobis, debemus judicio mentis pertinacissime ire in contrarium, & quam ordinatissime *velle* Deo parere. Hoc cum facimus licet nihilominus peccemus (quemadmodum & baculum fractum &c videmus & res sub modis cogitandi nostris apprehendimus) tamen tunc non esse nostrum illud peccatum; *non nos id fecimus* (ut inquit Apostolus Paulus) *sed quod in nobis regnat peccatum*: quia nos non approbamus istud, in quo multi Christiani errant, qui putant istam inclinationem cum approbatione semper esse conjunctam: indeque miris modis interdum anguntur, & præ angore conscientiæ nesciant, quo se vertant, nec mirum hoc est, quia mens nostra præjudiciis tam est occupata. Idem accidit populo frequentissime in apprehensione intellectus cum quo assensum sæpe conjungunt: ut si dicam: Hoc anno Leidæ morientur aliqui homines, putat populus se huic pronunciato meo assentiri, cum revera id non faciat, sed tantum valde inclinat se ipsorum intellectus ad assentiendum, & secundum talia illa actiones suas semper instituunt, intellectus autem impossibile est, ut dicto casui assentiatur, quia plane ipsi dubium est, quod dicitur. Hanc autem

mus magnopere (est enim in sole occasio aliqua instrumentalis, non etiam efficacitas vera, qua in nos producat illam speciem quæ luminis nomine denotatur) sed cum non tantum causam illam soli attribuimus, sed etiam speciem, imaginem, ac phasma aliquod luminis: tunc enim verò erramus, sed speciem illam abstra-

H hen-

autem labem, hoc peccatum nostrum Jesus Christus passione & morte sua sustulit a nobis: unicum hoc peccatum mundi (neque enim sunt plura, pro quibus Christus passus sit, unde Johannes Baptista, Christum digito ostendens dixit': *Ecce agnum Dei qui tollit peccatum* (non peccata) *mundi*) nunc semper peccamus, & in quo semper volvimus nos, tantam satisfactionem requirat. Quanta autem sit hæc misericordia, & gratia Dei nostri quod nos per filium suum redemit, & quantæ gratiæ ipsi pro hoc debeantur ineffabile est, & dolendum certe, homines, qui Christiani se esse profitentur, hoc non magis agnoscere atque illi homines qui nulla data occasione, nulla invitante passione, vel alio quopiam incitamento, peccant, de novo peccant (ut E. G. qui ex mera malitia bonos homines prosequuntur, eosque cruciant, & in illorum afflictione suam delectationem quærunt vel simile quid committunt.) Unde illi sunt inexcusabiles & sententiam damnationis suæ jam nunc habeant. Christus enim pro illo peccato non est mortuus, ut pote quod novum prorsus est, & post præstitam satisfactionem Christi commissum. Et hoc est illud peccatum in Spiritum sanctum quod Christus in scriptura dicit esse irremissibile, & *non vult, ut pro eo quis oret.*

hentes ab objecto, causam autem speciei reservantes ei, non erramus minus (cum hoc fit, extrinsecam denominationem fieri scholæ dicunt.) Extrinseca ea denominatio maximè desumitur a modis nostrarum passionum & voluntatis : sicut attributio modi cogitandi ad ipsum objectum proprium est, & sensui & intellectui, non solet enim voluntas atque passio speciem suam assignare rebus extra nos positis (ut sensus atque intellectus solent) sed eam speciem sibi reservantes, causam nihilominus istius speciei dant objectis. V. Gr. cum ira perciemur, non quidem eum qui lacessivit, qui convitium fecit, speciem illam in se habere existimamus, qua tunc perfundimur, nec putamus illam ab eo tanquam lumen a sole in nos manare (quis enim hic tam ineptus & demens est?) sed interim existimamus firmissimeque nobis persuasum habemus eum esse causam istius speciei : quod longissime abest a vero, cum taliter erga nos affectus, qualiter affectus jam esse cognoscitur, non iram sed miserationem extorquere natus sit.

Duæ autem sunt denominationes externæ admodum splendidæ, quæ hinc originem deducunt, scilicet bonum & malum, quorum alterum ab amore nostro, alterum ab odio & aversatione denominatur,

tur, sunt autem boni species variæ. Primum bonum voluntatis & sensus, illud honestum vocatur, estque simplex, hoc in varias species dissipatur scilicet speciosum seu pulchrum (quod aspectum juvat) melodiam (quæ aures oblectat) fragrantiam, seu suffitum (qui odoratui jucundus) similiaque alia ad alios sensus comparata, bona sunt, quæ scilicet sensum quem oblectant, & per consequens passione illa percipiuntur, quæ solet oblectatio, voluptas, amor vocari, possuntque generatim hæc sensibilia bona jucunda vocari: malum etiam totidem modis dicitur: nam aliud turpe, aliud molestum, aliud decorum, ac deforme (quod aspectui nocet) aliud fœtidum, aliud dolorem afferens, &c. quæ omnes denominationes profluunt vel a voluntate, vel a passione aliqua. Et quidem cum denominationes illas instituimus, satis intelligimus, res illas, quas V. G. flagrantes aut fœtentes, speciosas aut tetras dicimus: non habere in se illam speciem delectationis aut aversationis, ob quam talibus nominibus appellantur (speciem enim illam sicut generatim omnes passiones illas nostras non attribuimus objectis, sed nobis ipsis reservamus) sed saltem habere in se causam, unde talis in nobis delectatio aut aversatio oriatur: habere, inquam,

in se causam particularem & determinantem, talium motionum animi quæ oblectatio & aversatio vocantur, in quo magnopere fallimur, nam causa illa est in nobis, non in rebus extra nos positis: quod facile videbimus, si consideraverimus sæpe fieri, ut quod uni fragret, alteri fœteat, quod uni sapit, alteri insipidum sit, imo quod uni honestum est, alteri turpe sit: hinc enim apparet satis res illas in se non habere tale aliquid, ob quod istis nominibus appellentur; sed totam istorum nominum rationem, a nobis ipsis desumendam esse. Fragrat ergo cum nos ita sumus affecti, ut ea res quæ fragrare dicitur (puta rosa) in nobis dulcem sensum seu passionem, qua fruimur, cum rosam olfactu percipimus, excitare naturaliter consuevit, unde nec cani fragrat nec sui: idemque in honesto & turpi locum habet: occidere enim particidicum victum honestum magistratui, turpe privato: ex quo clarissime patet causas talium denominationum, boni inquam atque mali, & specierum utrorumque in nobis ipsis quærendas esse, non vero, ut solemus, in rebus extra nos.

§ 3.

§. 3.

De Errore.

CIrca errorem notanda sunt hæc tria primo modus noster cogitandi, secundo attributio: qua modum cogitandi attribuimus objecto, & tertio judicium mentis, quo attributionem illam approbamus, & quasi illi consentimus. In quorum primo, seu in modo cogitandi, in tali, error nunquam versatur: cum enim intellectus noster finitus sit, & limitatus, nunquam rem aliquam attingit, nisi sub certo modo: & quidem sub aliquo horum trium modorum, attingit, quicquid ei obversatur, nempe per modum entis, modi entis & sententiæ. V. G. *cura valetudinis*, hic intellectus rem sibi obversantem attingit per modum entis, seu subjecti: *curans valetudinem* hic tandem rem intellectus attingit, sub phasmate modi entis: denique *curanda est valetudo*, aut *cura valetudinem*, hic intellectus eandem rem attingit per modum sententiæ; cum igitur intellectu nihil attingamus nisi sub modo aliquo, siquidem in modo *formaliter* error consisteret, necessum esset omni nostra cogitatione nos errare, cujus contrarium constat nobis per sententiam:

qua clariſſime nobis conſcii ſumus, cum *curam valetudinis*, neque cum *curantem valetudinem*, neque *cum curandam aut curam* dixerimus, nos erraſſe aut deceptos ullatenus fuiſſe: Similis eſt ratio de modis cogitationum obvenientibus a corpore, ſcilicet ſenſibus & paſſionibus, in quibus ut ſic error nullus agnoſcitur: & alioqui jam tritum eſt in ſcholis omnibus dogma, *ſenſum non errare*: neque quiſquam eſt, etiamſi baculum noſtrum fractum videat, aut circulum noſtrum igneum, &c. de quibus ſupra, putet ſe ideo erraſſe, modo judicium mentis non acceſſerit.

Quantum ad ſecundum punctum attinet, nempe ad attributionem, qua modum cogitandi ſpeciem ſeu phaſma attribuimus rei cogitatæ: conſtituit hæc rei attributio potiſſimam partem præjudicii: præjudicium enim maximam partem, ſi non totum in tali attributione formaliter conſiſtit: præjudicium enim anticipatum judicium, cui aſſentatione mentis accedentis verum judicium ſubjungimus, V. G. applicatio luminis & colorum, qua aſpectus noſter ea quaſi copulat & jungit cum rebus extra ſe in mundum poſitis præjudicium eſt, fitque in populo etiam judicium cum aſſentatione mentis accedunt, approbant, & acquieſcunt in præjudicio

ſic

sic sumto, si retractes mente & improbes error nullus, qui vitio dari posset, agnoscendus est: ut viri & ætate provectiores jam errare se non putant, etiamsi baculum fractum, &c. videant: retractant enim judicio mentis præjudicium illud, quamdiu retractum non est præjudicium omnino error agnoscendus est in eo, præjudicium enim non est sine prævio judicio, nec est aliud, quam continuatus ex primo aliquo errore, error: V. G. cum adscribimus speciebus luminum & colorum aspectu nostro etiam citra judicium mentis, rebus extra nos positis (ut vulgus omne & scholæ pene omnes faciunt) sequimur errorem illum primum, quo ex uteris matrum primo prodeuntes in lucem, judicavimus species illas deberi causis, eas causas in nobis suscitantibus: de quo judicio vide §. præced. sapientes vero hic non errant, etiamsi affectu seu visu attribuant easdem species iisdem objectis, hi enim judicio mentis, præjudicio suo contraveniunt, retractant, & rejiciunt: unde non errant ipsi, sed errat solummodo præjudicium quod habitat in illis, (ut in simili etiam Apostolus ad Romanos philosophatur.)

Quantum attinet ad tertium punctum, cum scilicet judicio mentis accedimus præjudicio, & sicut præjudicio modum cogi-

tandi obiter admodum leviterque & quasi aliud agentes attribuimus rebus cogitatis & objectis : Si jam per judicium idem serio & deliberate faciendo renovamus : tunc graviter erramus : nam primum illum errorem quem commisimus, & in nobis ipsis admisimus, unde præjudicia omnia nostra profluunt, quia jam factus est, infectum reddere non possumus : Imo tanta est pronitas & inclinatio mentis nostræ, ac velut curvitas ex pondere primi illius erroris contracta, ut fere si non omnino impossibile nobis esse sentiamus, non adscribere modos nostros cogitandi, præsertim eos qui nobis ratione corporis obveniunt, rebus cogitatis & per sensum haustis, quis enim est qui solem intueri possit, & ei non adscribere fulgorem, sed detractum illum a sole, cui non debetur, reservare sibi, & spectare tanquam suum aliquod, non solis ? quis qui simile aliquid in coloribus, aut sonis percipiendis impetrare a se ipso possit ? imo baculum nostrum quod tam liquido sciunt integrum esse, quis tamen est, qui illud aliter, quam fractum intueri possit ? quis fracturam illam ut ad se pertinentem, & non potius ut objecto baculo inhærentem considerat ? Hunc igitur errorem (error enim est, nisi retractetur judicio mentis, ut ante ostendimus) errorem non putant

tant vulgo, quia tam difficulter evellitur, tam quasi naturaliter & sponte adest: unde & scholæ in simplici apprehensione negant errorem reperiri (ad quam sensus omnes referunt) sed tantum in compositione, ac divisione, seu affirmatione, negationeque, quas referunt ad judicium. Et certum est errorem illum, qui in judicio versatur longe graviorem & quasi magis palpabilem errorem esse: quem cum errant homines adscribentes judicio mentis modos cogitandi suos rebus cogitatis, pueris comparantur, qui eodem cum viris quidem præjudicio baculum nostrum fractum esse vident: sed insuper judicio viris omnibus ridiculo fractum esse credunt: In eadem cum pueris hisce navi Peripatetici navigant: non tantum enim præjudicio hic laborant, quo & viri seu vere sapientes etiam inviti, & inter retractandum laborant; sed velut pueri etiam judicio credunt, & præjudicio suo subscribunt: hoc solum in iis carpimus: si enim in rebus Physicis tantum præjudicio sensus adscriberent modos sentiendi suos rebus sensu perceptis, & in rebus Metaphysicis tantum adscriberent modos intelligendi suos per præjudicium intellectus rebus intellectis, nihil haberemus, quod reprehenderemus, moneremus tan-

tum, retractarent nobiscum vetus præjudicium, & errori non consentirent.

PARS PRIMA
HUJUS TRACTATUS.

In partem Peripateticæ Metaphysicæ primam, quæ est

DE ENTE.

NOtavimus in proemio §. primo, non tantum sensu dare nos modos nostros sentiendi rebus sensatis, sed perinde si non forte magis, dare nos solere modos nostros intelligendi rebus intellectis: & §. secundo causam eruere conati sumus, ob quam sensu id faceremus (negotium ut ibi vidimus perdifficile & intricatum, ut quod primum errorem humanæ naturæ investigat, & nondum exhaustum ut fatemur) restaret etiam inquirendum, cur hoc intellectu faciamus, sed par hic difficultas, si non major: obiter hoc dici potest, & altiori in posterum meditatione examinandum relinqui, scilicet nos intellectu sequi atque imitari quodammodo, nescio qua corruptela, sensum & modum illum agendi depra-

va-

vatum, quem in ſenſu ante notavimus: Quod adeo verum eſt, ut ſæpiſſime etiam loco idearum, & notionum noſtrarum, ſchemata & plaſmata noſtrorum ſenſuum ſurrogemus: ut id in vera Metaphyſica annotavimus, part. ſecunda ubi de lineis, ſuperficiebus, & punctis: oſtendimus enim nos ſchemata iſtarum rerum pro ideis habere, & part. tertia ubi de Actione, oſtendimus nos emblema actionis (quod totum in motu conſiſtit, ut cum faber menſam facit) pro idea actionis habere: hinc & [a] Peripatetici huic cacoëthi ſubſcribentes, *nihil eſt in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu, & oportet intelligentem Phaſmata contemplari*: ita vitia ſua vertunt in præcepta, & id agendum eſſe dicunt, ad quod agendum per nos ſe eſſe ſentiunt. Æmulantes itaque intellectu noſtro iiſque modis cogitationum noſtrarum, quas nobiscum huc quaſi contulimus, & ſecundum ſe a corpore non pendent, ſenſus noſtros, eosque modos cogitationum, qui ratione corporis nobis obveniunt, in ſimilia etiam incidimus præjudicia; & intellectu idem quod ſenſu facimus quod noſtrum eſt pro-

[a] Poſt peccatum verum eſt, quod Peripatetici dicunt, *nihil eſſe in intellectu quin prius fuerit in ſenſu*, ergo videmus Peripateticos nunquam conſiderare hominem ut eſt in ſe, ſed ut peccato inquinatus.

digimus quasi & in alia jactamus, modosque tam hujus, quam illius facultatis, non nobis reservamus, quod debebamus, sed in res objectas transferimus: quod unico exemplo *totius* & *partis* hic annotasse sufficiat: cum enim ratio *totius* duo involvat ad intellectum spectantia, nempe simul sumtionem plurium aliquorum, & exclusionem aliorum ab eorum numero, qui simul sumta sunt (quæ simul sumtio, & exclusio sunt modi cogitandi ad intellectum nostrum pertinentes) sensus quidem qui aliter sumitur a mensa V. G. in aëre ac pavimento adjacente & speciem illam objecto adscribit, exemplo suo quodammodo præbet intellectui, ut simul-sumtionem illam asserant atque palorum ex quibus mensam constare dicimus, simulque exclusionem aëris & pavimenti circumstantium adscribat ipsi mensæ: mensam enim putamus ut tale *totum*, extra nos existere in rerum natura, quod minime sic est: cum res quidem atque res sint extra nos, sed simul sumtæ abstractæque ab aliis seu aliorum numero (sub qua ratione tantum totum esse possunt) in rerum natura non sunt, sed hoc habenta modo cogitandi nostro. Simili postea emblemate similique modo intelligendi, modum intelligendi extra nos jactandi inposterum utimur circa quævis alia tota: *totationem* enim rebus ipsis, quæ ideo tota vocan-

vocantur, adscribimus; cum nobis & menti nostræ debeatur.

§.

De Ente in genere.

Quæ cogitamus per intellectum, aliquo horum trium modorum cogitamus, nempe ut ens, ut modum entis, & ut sententiam: & duos quidem priores modos jactamus, & in ea quæ extra nos sunt transferimus (quæ enim extra nos entia quædam entium modos esse diximus: ipsaque illa quæ extra nos sunt, iis ipsis nominibus indigitamus, entia inquam & entium modos vocamus) Tertium nobis reservamus: nec enim putamus res extra nos positas esse sententias, neque eas sic unquam vocamus; sed sententiam habere nos in mente, eam mente jam conceptam pronunciare nos & efferre dicimus. Ut igitur initium capiamus ab ente seu a primo illo modo cogitandi,

Ens, (seu *aliquid*, seu *quid*, seu *id*, cui consonat Belgicum nostrum *iet*) non est aliud quam modus subjecti, seu talis modus cogitandi, quo apprehendimus id de quo affirmare, de quo dicere aliquid constituimus: Sicut ergo quod manu dextra apprehendimus dextrum esse dicitur, *nulla* formali ratione, seu dexteritate *rei ap-*

prehenſæ competente ; ſed hæc ſolum dextra dicitur a manu dextra, quam reſpicit : Sic etiam ens dicitur, quod certo quodam modo apprehendendi intellectus noſtri arripimus, quaſi nulla ei quod arreptum eſt formali ratione talis denominationis competente ; ſed hæc formalis ratio tota reſidet in intellectu, & modo cogitandi noſtro.

Non ita enim perſuaſum habent tantum Peripatetici ; ſed cogitant ens extra nos exiſtere ; licet non ſub tali modo abſtractionis ; ſicut nos diximus lineas, ſuperficies, & puncta extra nos in rerum natura verſari, non quidem ſub tali præciſione, ſed plene, & ut ſunt in ſe, nam *Abſtrahentium non eſt mendacium*, ſic etiam illi exiſtimant etiam ens abſtrahi a ſpiritu & corpore, & ſi quæ his ſimilia ſunt ; ſed falluntur, & in ente abſtractio nulla talis intelligi poteſt, cum nulla jam ſit affectio, in eo quod ſic abſtractum eſſe fingitur, quam mens attingat atque percipiat : Quod facile patet, comparatione entis ad lineam inſtituta : etiamſi enim linea abſtrahatur a ſuperficie & corpore, eſt tamen affectio aliqua in ipſa ſic abſtracta (nempe longitudo) quam mens facile arripere poteſt cogitando, ſed in ente cum jam a corpore & mente (aut ut ipſi loquuntur ſpiritu) abſtractum eſt, quæ, quæ

ſo,

so, residua est affectio, quam mens ab his se abstrahens attingat? certe nulla: & si nulla affectio supereſt, ergo nulla abstractio facta est: nam qui abstrahit, aliquid abstrahat necesse est, sicut necessum est ut aliquid relinquat. Dicunt qui subtiliores sunt, se abstrahere cogitabilitatem, conceptibilitatem, cognoscibilitatem a corpore & spiritu, aliisque rebus intermediis si quæ esse possint, & penes hunc gradum sic abstractum, ens constitui in genere, & latitudine sua; sed considerent illi etiam atque etiam cogitabilitatem ad nos fundamentaliter pertinere, non vero ad res objectas, quæ tantum extrinsece denominant: res enim a se non habent quod cogitabiles sint, sed a nobis; Igitur hæc non est abstractio a rebus extra nos positis, sed extrinseca denominatio rerum a cogitatione nostra: hoc mature secum perpendentes, videbunt se in eadem nobiscum esse debere navi, si ratione sua hic recte uti voluerint, id ipsum enim fere dicebamus, nempe *ens* dicere formaliter modum aliquem cogitandi nostrum, quem imperiti objectis extra se positis affingunt, nos extrinsecus ea denominare dicimus.

Ens igitur ut inter voces nostras versatur, nihil aliud est quam nota *subjecti*, seu *signum* quo innuimus audienti *nos* rem aliquam per *affectionem aliquam* suam

ſuam intellectu noſtro apprehenſam, ſubjicere velle in affirmatione noſtra, ſeu aliquid de ea velle dicere: Et ſæpe quidem ens ipſum verbotenus tanquam nota ſubjecti in ipſo ſubjecto noſtro reperitur: ut hic, *quod grave eſt naturaliter cadit*, ubi *quod eſt*, idem eſt ac *ens*; ſicut qui amat idem eſt ac amans: aliquando ſubauditur, ut hic *grave naturaliter cadit*, ubi ſubintelligitur *quod eſt* ex parte ſubjecti, aliquando magis tacite adeſt, præſertim in ſubſtantivis, primo, quia ſubſtantiæ a Peripateticis vocantur, de quibus §. ſequenti: ut hic, *lapis eſt durus, homo eſt rationalis*: hæc enim ſunt entia per ſe quaſi & ſuo jure, unde niſi peregrima inflexione detorqueantur (ut hic lapideus, humanus, &c.) per ſe & ſine alia nota, entia eſſe intelliguntur: aliquando enim ens ſeu nota ſubjecti caſu ſeu finali terminatione importatur: idque obtinet in ſubſtantivis. Secundo, quæ accidentia a Peripaticis vocantur: hæc enim niſi peregrina aliqua inflexione juventur, non ſubjecta ſeu ſubſtantiva, ſed adjectiva forent: & ſic importatur in hiſce *fortitudo eſt virtus*, *albedo eſt color*, &c.: terminatio enim illa peregrina (dum enim ſibi relinquuntur, ſatius ut *fortis* atque *albus* afferuntur) indicat ens ſeu modum ſubjecti, cum alioqui potius prædicata forent.

Quæ

Quæ ut melius utque penitius intelligamus, consideremus, quod verum est, Ens esse participium, invita latinitate a verbo SUM derivatum : ita ut *ens* non sit aliud quam *quod est*, sicut amans non est aliud quam qui amat (sicut paulo ante adhuc insinuavimus, & per se notum est) Cum igitur dicitur *ens* idem est atque *quod est*, ibi *est* non est secundo sed tertio adjacens (ut Peripatetici loquuntur) Vocant enim *est* secundo adjacens, cum idem est ac *existit*, ideo nempe quia *est* tunc tantum secundum est in propositione, supponitque solum subjectum, ut hic *Petrus est*, quod perinde atque *Petrus existit*; *Est* autem tertio adjacens est pura nota affirmandi, purum verbum de quo in Logica cap. 1. ideoque vocatur tertio adjacens, quia duo supponit in eadem secum propositione, nempe subjectum & prædicatum Petrus est homo.

Hac Peripatetica & vere grammatica consideratione præmissa, facile videbimus ens esse meram notam subjecti, & tantum tenere se posse ex parte subjecti : cum etiam in prædicatum verbotenus compactum, sensu excidere : *Ens* enim ut vidimus est *quod est*, ibi in explicatione est tertio adjacens (alias enim *ens* idem esset ac id *quod existit* : jam autem multa sunt entia Peripateticis idque facile concedentibus

tibus quæ non existunt) jam vero *est* tertio adjacens imperfectum est prorsus, requiritque supplementum a prædicato subsequente: si enim dixeris *quod est* (sumendo nempe ibi *est* tertio adjacens) pendet dictio, & hoc vel simili modo suppleri postulat, *quod est album*, *quod est dulce*, &c.

Itaque in subjecto locum habet ista nota *quod est*, seu *Ens*: cumque dictum est *quod est album*, *quod est dulce*, significamus hæc nos subjicere in affirmatione aliqua velle, hoc modo, V. G. *quod est album videtur*, *quod est dulce gustatur*: cum alioqui *album* & *dulce*, nisi notam illam subaudias vel addas, apta quidem sint ut prædicentur, inepta vero ut subjiciantur. Idem clarius eluceſcet, si notam illam, vel solam, vel cum alio aliquo in locum prædicati verbotenus (nam sensutenus non potest) intruseris: nam si dixeris *Petrus est ens* videris vulgo aliquid dixisse: verba enim & speciem & ordinem consuetum affirmationis alicujus habent, sed si sensum consulas, efficietur hic *Petrus est quod est*, ibi cum ultimum *est* tertio adjaceat, intelligitur prorsus dictum esse nihil, & sententiam omnino pendere: nempe *Petrus est quod est album aut dulce*, &c. si vero cum alio aliquo notam illam *Ens* in prædicatum commiseris, videbis illam

spon-

sponte excidere tanquam redundantem ac supervacaneam, continentemque in se ineptam battologiam: dic enim *Petrus est res alba* seu *Ens album*: quid hoc sibi vult? Cum res seu *ens* non sit aliud quam *quod est*, hoc sibi volet *Petrus est quod est album*. Ibi clare vides Peripatet. illud *ens* seu *quod est* prorsus ridiculum & ineptum excidere, & supervacaneum esse: Cum igitur *ens* in subjecto quidem non ineptum sit, in prædicato vero tenere se non possit; sed continuo atque verbo injectum est, re ipsa excidit: supereſt aliud nihil quod ei tribuamus, quam esse notam subjecti.

Sed dices si res seu ens tantum dicat modum cogitandi nostrum: quid ergo sunt res in se? & nunquid res in se res sunt? *nunquid* nos ipsi etiam inter proscribendum ens e rerum catalogo, *entia* tamen semper & res dicimus? Resp. res in se sunt quod sunt, nempe mentes vel corpora; nos vero cum de illis loqui volumus merito res appellamus ea, quia hæc est nota subjecti, perinde cum de illis loqui volumus adhibenda est nobis ista nota: Et expostulatio ista similis est huic, quia quis expostularetur, cum Petrus in se ipso quatenus in se est, non habeat illud nomen *Petrus*: cur quando de *Petro* secundum se loquimur semper tamen ei id nomen *Petrus*

trus indamus? Itaque res in se non sunt res, seu non habent modum illum intellectus nostri, quo constituuntur in ratione rerum; nos tamen cum de illis etiam ut sic, seu de illis ut sunt in se loqui volumus, necessum est ut illis tribuamus modum subjecti aut entis, seu potius, ut apprehendamus illas: nam in ea ipsa locutione in qua de iis loquimur ut sunt in se, non finimus illas ut sunt in se, sed damus eis rationem subjecti.

§. 2.

De Substantia & Accidente.

SUbstantiam dicunt esse ens in se, *aut etiam* ens per se; *Accidens vero ens in alio, aut ens per aliud.* Et substantia quidem non alia de causa (cum totas eorum cogitationes rite discutimus) Ens per se dicitur, quam quod speciali ratione & quasi prærogativa vindicet sibi rationem subjecti seu Entis. Cum enim cætera vel adjectione notæ *Ens* seu *quod est*, vel peregrina seu minus solita nominis sui terminatione rationem mentis acquirant, tum illa quæ substantias vocavere, habent rationem subjecti, quasi per se & sine talibus adminiculis eo ipso nude, quo propriis suis solitisque nominibus exprimuntur V. G. *dulce* non habebit rationem subjecti, nisi ei expresse vel implicite adjicias

cias notam ſubjecti ſcilicet *ens* ſeu *quod eſt* (hoc modo *quod eſt dulce delectat*) vel peregrina terminatione nominis eandem notam ſubindices (V. G. dulcedo delectat) *homo* vero, *lapis*, *lignum*, &c. dum uſque ſuis propriis ſolitiſque nominibus exprimuntur ſine ulla interea adjectione habent hoc ipſo rationem ſubjecti ſeu ſubſtantivi, ſeu talis alicujus quod rite accommodatum ſit, ut de eo affirmari aliquid poſſit.

Nota igitur, quaſdam inter voces noſtras primitus eſſe [a] ſubſtantivas, quæ non niſi

[a] Operæ pretium eſt, & hoc ipſum inquirere, cur ita ſit: nam ſatis certum eſt, prius homines dixiſſe lapidem, quam lapideum, ſolem quam ſolarem, &c. id ſatis patet ex vocum iſtarum ipſa inflexione quæ manifeſtam arguit derivationem *lapidei* a *lapide*, non contra, *ſolaris* a *ſole* non contra: quum oppoſito modo ſe habeat *fortis* & *fortitudo*, *albus* & *albedo*: nam hic clarum eſt, ſubſtantia ab adjectivis eſſe derivata, ſi autem hoc in omnibus idiomatibus, & in vernacula noſtra lingua idem obtinere manifeſtum eſt. Debet ergo ratio aliqua eſſe vel ſpecies aliqua rationis, quæ huc impulerit homines: quam tamen rationem non ita facile eſt aſſequi, Ariſtoteles cum ſuis penes τὸ *in* diverſitatem illam determinare conatus eſt, ſed ex ſequentibus in textu facile apparet, hanc rationem merum circulum continere: nam ipſum *in*: ut ibi ſatis oſtenditur penes ſubſtantiva primo, & adjectiva primo deſumitur: cum ſubſtantivis primo inſunt adjectiva primo, dum hæc peregrina & ſubſtantiva inflexione exprimuntur: ita ut tota ratio iſtius *in* pendeat a ratione ſubſtan-

nisi peregrina & minus solita inflexione in ad-

stantivorum primo, & substantivorum secundo. His adde, quod non sit hic perpetuus tenor in sermone, quod substantiva secundo in substantivis primo inesse dicantur, aut, si hoc, tamen etiam vice versa hæc in illis dicantur non nunquam: sic enim non tantum dicimus, motum esse in corpore quod movetur, quietemque in corpore quod quiescit; sed etiam vice versa æque familiariter dicitur, corpus quoddam in motu, quoddam in quiete esse. nec est cur non similiter dicatur (quod aliquando etiam dicimus) nivem esse in albedine, Herculem in fortitudine; ataque frustra hic laboratum est a Peripateticis, & penes τὸ in non potest desumi differentia accidentis, & substantiæ: imo si non populariter sed vere, rite, & Philosophice loqui voluerimus potius dicendum erit, substantiam esse in accidente, quam accidens in substantia: nam in conceptu accidentis (seu modi) semper includitur conceptus substantiæ (seu modificati) ut pridem notabamus, igitur etiam in ipso accidente includitur: & magis verum est, corpus quoddam esse in motu, in albedine, in frigore, &c. quam contra, hoc inesse cuidam corpori: si non vulgariter, sed ut dixi: ἀκριβῶς loqui voluerimus. Vera forsitan est causa differentiæ inter substantiva primo, & substantiva secundo (quæ secum trahit differentiam inter substantiam & accidens, aut verius eadem est cum illa differentia) hoc erit quod quædam res visæ sint populo magis firmæ stabiles & perennes; aliæ vero magis fluxæ, leves & caducæ; sic corpus aliquod magis visum est firmum, quam color aut frigus: nam subinde frigidum, subinde calidum prodibat hoc corpus: similiter lux & tenebræ, coloresque & soni

adjectivas voces aliqvando transformantur, sic prius homines lapidem atque lignum, quam lapideum aut ligneum dixere: hasce igitur voces possumus vocare substantiva primo, & constituunt Peripat. substantias, dum propriis illis & primis suis modis exprimuntur (*ut lapis, lignum,*

soni & similia omnia visa sunt magis fluxa corpore seu extensione. Hinc Corpus maxime visum est, hodieque adhuc videtur populo maxime substantia præsertim si huic accedat, ut sensum valide afficiat corpus, igitur, ejusque species substantiva primum dicta sunt seu talia, de quibus reliqua dicebantur: cum etiam mens nostra ex colligatione sui cum Corpore, & prima labe, non tantum præjudiciis sensuum laboret; sed etiam in omnibus pene suis intellectionibus sequatur, necdum illorum præjudiciorum, quæ sunt in sensu (ut in proemio primi tract. aliquatenus videmus; unde etiam quodammodo verum est, nihil esse in corrupto ejus intellectu, quin prius fuerit in sensu:) hinc etiam in attributionibus, & subjectionibus eorum, quæ apprehendit, sequitur sensum: sensum autem firmis magis inniti fluxa quam firma fluxis incumbere, manifestat. Hunc igitur sensum secuta mens, corpus facit subjectum omnium rerum, etiam mentis humanæ seu sui ipsius (dicitur enim in scholis, hominem esse corpus animatum rationale: ubi manifeste se ipsum ponit attributum corporis, & corpus suum subjectum) etiam divinitatis seu Dei ipsius (unde Aristoteli gentibus idololatris omnibus corpora cœlestia, similiaque quædam alia divina sunt:) ubi Deus manifeste sit attributum corporis; Corpus ejus subjectum & substantia.

gnum, ſubſtantiæ ſunt) Quædam vero voces contra primo adjectivæ, deinceps vero in ſubſtantivas transformatæ ſunt, ut *forte* atque *dulce* prius dixerunt homines, quam *fortitudinem* atque *dulcedinem* hujus igitur ſecundi generis voces poſſimus vocare *Adjectiva* primo, conſtituuntque Peripat: accidentia præſertim dum ſubſtantive, id eſt, peregrine exprimuntur: Sic V. G. fortitudinem atque dulcedinem accidentia eſſe dicimus.

Nihil inde abludunt aliæ definitiones, quibus ſubſtantiæ ens in ſe, accidens ens in alio eſſe definiebantur; cum enim *quod adjective expreſſum fuerat, atque de certo ſubjecto dicebatur poſtmodum ſubſtantive exprimitur, tunc ipſum eſſe dicitur in illo ſubjecto, quod adjective expreſſe denominabat, ſeu de quo affirmabatur*, V. G. dulcis denominat ſaccharum, ſeu de eo dicitur, atque hinc dulcedo in ſaccharo eſſe dicitur: ſimiliter cum Hercules ſit fortis, fortitudo in Hercule eſſe dicitur, imo eodem modo cum menſa lapidea aut lignea, lapis vel lignum in menſa non abſone dicuntur, ex quibus patet accidentia, quæ juxta priorem definitionem ſunt entia per aliud juxta hanc definitionem etiam eſſe entia in alio, & etiamſi etiam ſubſtantiæ aliquæ hoc pacto videantur in alio eſſe, V. G. lignum in menſa lignea, tamen imprimis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [202] - 192
PUBLIC DOMAIN

mis non habent ſubſtantiæ per ſe propriamque ſuam expreſſionem, & huic etiam difficultati Ariſt. occurrit, cum vult accidens eſſe in alio, aliter tamen quam velut partem in toto; lignum vero atque lapis, &c.

Albedinem eſſe in nive potius ratio ſit cur nix ſit alba, quam contra: imo unica ratio, cur albedo in nive eſſe dicatur, ea eſt, quod nix ſit alba, quamvis enim nomen ſequatur rem & non contra, nihil tamen eſt cauſæ cur nivem eſſe albam ad nomen referatur, quam contra, quin imo hæc res eſt *nivem eſſe albam*, & hoc poſterius eſt & ad nomen pertinet *albedinem ineſſe nivi*. Laborent tamen magnopere in oppoſitum Peripatetici, & omni modo conantur inexiſtentiam illam ad rem referre: itaque comminiſcuntur varias conditiones iſtius inexiſtentiæ, qua accidens ſit in alio tanquam in ſubjecto ut ipſi loquuntur. *Prima quidem conditio eſt ut accidens ſit condiſtinctum a ſuo ſubjecto* (a *condiſtincta autem vocant*, quæ per ſe primo

I di-

a *Condiſtincta autem vocant*] Condiſtincta habent ſe ſicut A. & B. diſtincta vero & non condiſtincta vel habent ſe ſicut A. & A. B. (id eſt pars & totum) vel habent ſe ſicut A. & B. & B. C. (id eſt duo tota eandem partem includentia) his accedunt eadem, quæ ſe habent ſicut A. & A. eſtque hic quaternarius numerus combinatorum poſſibilium, ultra quos nul-

distincta sunt, id est nihil idem realiter excludunt, quomodo pars & totum, aut duo tota eandem aliquam partem includentia distincta quidem illis dicuntur non condistincta) hanc conditionem ideo ponunt, ut substantiam quæ per modum partis etiam inesse potest a ratione accidentis excludant; sed conditio hæc non quadrat: accidens enim sine subjecto suo cogitari non potest adeoque necessum est ut illo involvat, nec sit ab illo condistinctum: [3] *quamvis enim albedo* cogitari possit nulla alia dari potest (ut etiam in Logica nostra de Concordia & discordia terminorum animadvertimus) nam res duæ quæcunque, aut sunt eædem, aut non sunt, vel nec quidem quoad partem: si posterius, sunt condistincta; si prius, vel unum est pars alterius, vel communicant in eadem parte.

3 *Quamvis enim albedo*, &c.] Hic tangitur causa, qua Peripatetici decepti fuerunt, dum *accidens* condistingui putant suo subjecto: potest enim cogitari albedo sine nive: nix autem sæpe dicitur esse subjectum albedinis, sed mentem debebant flectere ad subjectum proprium albedinis (hoc enim tantum est verum subjectum albedinis, nix autem & quæcunque talia tantum sunt subjecta per communicationem, eo quod nempe contineant in re subjectum proximum albedinis) quod est materia seu corpus; hoc si feciissent, clare satis vidissent, albedinem non condistingui a suo subjecto: utpote sine quo cogitari non possit. Decepti ergo sunt confusione subjecti veri & subjecti remoti. Nam subjectum remo-

sit sine nive, non tamen cogitari potest sine materia, quæ est verum & proximum ejus subjectum. *Secunda Conditio, ut accidens penetret suum subjectum seu consistat in eodem cum subjecto suo loco*; sed hæc conditio rursus concidit, unam enim rem aliam penetrare rem mera chimæra est: ut enim hoc de parte & de toto aliquatenus intelligi possit (pars enim totum penetrat quodammodo pro ea parte qua est idem) certe de rebus condistinctis (quales illi volunt esse accidens & subjectum ejus) inrelligi nullo modo potest: imprimis enim sunt accidentia spiritualia & spiritualia eorum subjecta; hæc vero, non sunt in loco (ut ex vera Metaph. manifestissimum) adeoque nec penetrant inter se cum penetratio essentialem ordinem dicat ad locum: deinde in rebus materialibus, nulla potest intelligi [4] *penetratio, nisi vulgaris illa* & populo decantata, quæ in corporis alicujus fluidi intra alterius corporis solidioris poros insinuatione consistit, quæ

remotum non est verum subjectum: sicut si A sit album & B nigrum; A quidem intelligitur esse subjectum albedinis sed non proprie A. B. est tantum per communicationem, & quia in se continet A.

4 *Penetratio, nisi vulgaris est illa, &c.*] Qualis est penetratio, qua jusculum penetrat panem, qui in illo macceratur, aut liquor aliquis penetrat spongiam.

nec est vera penetratio, nec putant Peripat. illam ad inexistentiam suam deficere.

Tertia Conditio est, ut accidens habeat se per modum posterioris advenientis; sed cum modum illum non explicent, nihil videntur hic dixisse: non debet enim subjectum tempore præcedere suum accidens, ut est apud eos etiam in confesso; igitur natura, [1] *non dicent autem quo pacto accidens sequatur natura suum subjectum* nisi confugiendo ad modum aliquem cogitandi nostrum, & per consequens nihil ad huc rei dixerunt in hisce tribus conditionibus; est interim hæc tertia conditio sola inter illas, quæ accidens distinguat a subjecto suo; cum duæ priores accidenti pa-

[1] *Non dicent autem quo pacto accidens natura sequatur suum subjectum*] Bene satis intelligimus, totum esse posterius sua parte: & nulla alia posteioritas in accidente potest agnosci. Subjectum enim est pars accidentis & modi sui: cum enim accidens & modus non possint cogitari sine subjecto seu modificato suo, necessum est, in conceptu modi & accidentis volvi conceptum subjecti, seu modificati (quod ipsi aliquando Peripatetici totidem verbis dicunt) quod si conceptus in conceptu involvatur, necessum est etiam ut res concepta in re concepta involvatur. Nam cogitationes nostræ dum veræ sunt, res ipsas sequuntur, & sic se habent sicut res ipsæ: subjectum ergo includitur in modo & accidente suo; quod non potest fieri, nisi sit pars ejus.

pariter & subjecto ejus communes sunt. *Quarta* Conditio est, *ut accidens cum suo subjecto, ne constituat ens unius naturæ, seu ens unum per se* : quam conditionem apponunt ad excludendum a ratione accidentis formas suas substantiales : nam & hæ condistinguuntur a subjecto suo nempe a materia prima, & penetrant juxta eas, & habent se per modum posterius advenientis respectu ejusdem materiæ primæ, quam informare dicuntur ; sed consttiuunt cum illa entia unius naturæ, nempe corpora naturalia, ut lapides, plantas, &c. Sed hic laborant in definitione entis unius naturæ : definiunt enim ipsum, quod non imponitur ex rebus diversæ naturæ : & inter res illas diversæ naturæ, primo & potissimo loco reponunt substantiam, & accidens : adeo ut completus jam sit circulus, nam accidens definiunt per ens unius naturæ, & ens unius naturæ definiunt per accidens ; quales definitiones circulares quam sint ineptæ atque ridiculæ, vide in Logica nostra parte ultima sectione prima Cap. 7. præsertim Numero. 3. pag. 436. Ex quibus omnibus, clare patet non posse illos dicere quid sit illud *in*, in quo rationem accidentis constituunt, nisi applicando mentem ad illam rationem, qua accidens ens per aliud esse diximus : nec intelligi albedinem esse in nive,

nisi per hoc quod nix sit alba : adeoque totam rationem substantiæ & accidentis penes hoc desumendam esse, quod altera quidem sit substantivum primo, alterum sit adjectivum primo : quæ adhuc magis constabunt ex sequentibus.

§ 3.

De Gradibus Substantiæ.

SUbstantiam aliam primam, aliam secundam esse dicunt : hanc universalem, illam singularem esse & substantiam primam maxime substantiam esse Aristoteles dicit; secundam vero non ita : Ex quo ejus dicto clare patet, eum per substantiam non aliud intellexisse, quam certum subjectum : ideo enim ait substantiam primam maxime esse substantiam, quia maxime subjiciatur : subjicitur enim, inquit, accidentibus & substantiis secundis (quod an verum sit infra examinabimus parte secunda, §. primo, de modo ubi ostenditur substantivum non posse esse prædicatum & perinde substantiæ primæ non subjiciuntur secundis) ubi substantia secunda accidentibus quidem, sed non vice versa primis substantiis subjiciuntur : nam Socrates quidem homo, homo vero Socrates esse non dicitur : patet id ipsum etiam

etiam ex notis ſubſtantiæ, & præſertim ex illa tam decantata, *ſubſtantia non videtur ſuſcipere gradus ut magis minusve talis dicatur* : ſubſtantiva non cohærent apte cum adverbiis magis & minus : ut nix quidem magis alba quam paries; ſed albedo nivis magis albedo eſſe quam albedo parietis non recte dicitur : adeo ut hæc ſit nota ſubſtantivi & per excellentiam nota ſubſtantiæ, ut quæ excellenter ſubſtantivum ſit.

Aliter dividunt ſubſtantiam in completam & incompletam : incompletam eam vocant quæ ingreditur compoſitionem entis unius naturæ, ut inprimis materia prima & forma ſubſtantialis, deinde partes integrales ſubſtantiales, velut manus, pes, &c. quibus ſuperſtitioſi aliqui adjiciunt naturam, & ſubſiſtentiam, de quibus fatentur ſibi in Philoſophia nihil liquere; tantum ſe hæc ex fide & myſteriis Chriſtianis hauſiſſe : quomodo, ipſi viderint.

Tertio dividunt ſubſtantiam in ſpiritualem & materialem : & generatim ens ſpirituale illud eſſe dicunt, quod a materia prima non dependet; materiale vero, quod ſic dependet : ubi quidem vehementer errant in definitione entis ſpiritualis : cum enim dicere deberent, *quid* eſſet, non hoc dixerunt; ſed quid *non* eſ-

set ; ita tota ratio entis spiritualis manſit illis occulta : nec unquam ad veram ejus rationem (quæ in cogitatione abſolvitur) ſatis attenderunt : unde factum etiam, ut multis rebus quas materiales eſſe voluerunt, cogitationem nihilominus diſerte adſcripſerint : velut brutis, & formis ſubſtantialibus brutorum, ſenſum qui in cognitione conſiſtat, attribuerunt, & tamen res materiales eſſe voluerunt. Similiter etiam quibusdam, quæ ad cogitationem nullatenus pertinent, ſpiritualitatem adſcripſerunt : ut præſentiis localibus, quibus res ſpirituales, ut mentes noſtras aut angelicas in loco eſſe voluerunt.

Subſtantias completas ſi materiales fuerint, corpora illis vocantur, ſi ſpirituales, ſpiritus : quæ poſterior nomenclatura, ut ferri aliquatenus poſſit, certe prior illa non poteſt tolerari : Lapides enim, ligna, ſidera, &c. non ſunt corpora propriè, ſed corporea : involvunt enim ultra materiam ſeu extenſionem certam aliquam formam, quam Peripat. ſubſtantialem vocaverunt, qua ſunt hoc quod eſſe dicuntur, & qua inter ſe diſtinguuntur, cum materiâ prorſus ſint eadem. Cum vero inter hæc corpora non ſolum beſtias, quibus imperfectam aliquam cognitionem & mentem adſcripſerunt, ſed

ſe

se ipsos etiam recensent, dicentes hominem esse corpus animatum & rationale, plane deridiculi sunt, ut brevissime dicam, subolet enim mihi hic non nunquam importuna quædam & altum radicata impietas : etiamsi enim homo sit mens cum corpore; non licet tamen hoc invertere (ut quidam inepte hodie veterum errorum fautores) & dicere hominem esse corpus cum mente (quamquam & hoc adhuc minus sit quam Peripat. velint, qui absolute hominem corpus esse dicunt) sicut enim vestitus, homo quidem est cum veste; non is idem recte dicetur vestis cum homine, & multo minus absolute vestis dicetur : sic homo qui incorporata mens est, non potest dici corpus cum mente, & multo minus dicetur corpus, & sicut vestitus est homo cum veste certo modo applicata : sic homo est mens cum corpore certo modo applicato, hæc vero invertere, si non impium, certe puerile est & deridiculum, ut jam mox dicebamus.

Ipsam denique substantiam, cum volunt esse gradum quendam entis, & genus eorum omnium, quæ substantiæ nomine venire solent, vehementer errant: an enim res in alio sit nec ne, quæ per intellectum apprehensa est (in quo tota substantiam inter & accidens diversitas consistit)

sistit) non pendet a reipsa, quæ per intellectum sumta est, sed a modo sumendi seu apprehendendi nostro: cum enim res aliqua sic sumta est, ut de ea affirmare possis sine ullo addito vel subaudito, substantia sumta intelligitur: Cum vero nota aliqua addenda est vel subaudienda, accidens sumtum esse intelligitur: neque alia est inter hæc quoad rem ipsam diversitas. Qui vero substantiam dicunt esse ens independēns: accidens vero quod ab alio dependet; ne quidem his gradus esse accidens & substantiam sinunt, ad summum enim juxta hos sunt proprietates earum rerum, de quibus dicuntur; prius enim est habere effectionem aliquam, quæ ab intellectu attingatur (puta extendi, cogitare, de loco abire, &c.) quam ab alio dependere aut non dependere: nam num pendeat, nec ne, ex affectione illa æstimandum est, adeoque affectio procedit in intellectu, & dependentia illa tanquam proprietas sequitur: quæ proinde non est gradus seu genus, ut quod speciebus suis natura prius esse debeat, sicut ergo *volubilitas* (seu facilis, & expedita per plana rotatio) non est genus globorum sed proprietas; sic substantia & accidens ad summum sunt proprietates earum rerum quæ hisce nominibus vocántur: sed de dependentia illa quæ difficul-

ta-

tatem non levem habet, commodius dicam infra, ubi de causa & causato.

§. 4.

De Gradibus Accidentis.

DUo potissimum accidentium genera comminiscuntur, quantitatem inquam & qualitatem: quarum illa ad patiendum; hæc vero ad agendum pertinet: atque ita substantiam omni affectione veram exuerunt, eamque in accidentia transtulerunt omnem: cum enim substantiam actione pariter & passione privant, nihil ei reliquum fecerunt, quo ab intellectu apprehendi possit: sed cum vicissim accidentia a substantiis dependere volunt, atque illa penes has definienda esse statuunt (nam quantitas definitur accidens datum substantiæ ut extendant illam, & qualitas definitur accidens datum substantiæ, ut hæc per illud operetur) etiam ipsa accidentia a rerum natura tollunt: cum enim in substantiis nihil reliquerint, quod intellectus attingat, & accidentia tamen in his tota fundaverint, necessum est tam hæc quam illas corruere, & nihil supereſſe quod jam intellectus attinget.

Et quantum quidem attinet ad quantitatem, indunt eam proxime materiæ primæ, ut hæc per eam extensa sit, & pars ejus a parte alia ejusdem impenetrabilis: sic enim definiunt, & quam plurimi inter eos volentes quantitatem à materia realiter distinctam esse, harriolantur ineptissime, si Deus quantitatem a materia abstulerit (& aufferre eum posse statuunt) totum hunc mundum in unum punctum concisurum esse: Adeo ut quantitatem instar pultis cujusdam (similis fortasse illi quo pileorum nostrorum margines indurant) consideraſſe videantur, qua materia forma sit ut stabilis & expansa, partibus omnibus extra mutuum situm consistentibus: cum alioqui ea sublata flaccida foret materia, & in seipsam desidua, ac ad penetrationem prona: Quæ omnia perquam vana sunt & puerilia: tum ne relinquitur materiæ quidem hilum, quod ab intellectu apprehendi possit: non debet enim ipsa esse extensa, ut fatentur: multo minus cogitat: quid ergo erit ipsa in se? quæ ejus affectio, quam intellectus apprehendere possit? & illi quidem hanc comminiscuntur, nempe materiam non habere extensionem actualem, sed aptitudinalem aliquam, & exigentialem, adeo ut ejus essentia non sit extendi, seu quantitate præditum esse; sed exigere natura

turaliter extenſionem ſeu quantitatem, ſicut inquiunt frigidum eſſe non eſt de eſſentia aquæ; ſed exigere naturaliter frigus. In quibus rurſus magna continetur inſcitia: nam *exigere & poſſe* nunquam pertinent ad rei eſſentiam, cum eſſentia (quod alias ipſi non diffitentur) in actu aliquo conſiſtere debeat: dicant ergo quis ſit ille actus, quo materia in eſſe ſuo conſtituitur, ſi non per quantitatem ſeu extenſionem: & alioqui eſſentia debet eſſe primum attributum rei; *aptum vero eſſe* & naturaliter exigere, & ſi quæ ſimilia in ſcholis ſic decantata ſunt, non ſunt attributa prima; ſed ſupponunt rem aliquam quæ apta ſit aut exigat: unde in ſcholis etiam dicitur *poſſe ſupponit eſſe.*

Quantitatem quidem eorum, iique non infimæ notæ, & numero frequentes ſeparant ab extenſione: unde duplicem quantitatem admittunt, aptitudinalem (quæ eſt proprie iis quantitas, quæ eſt accidens illud quod ſubſtantiam extendit:) & actualem (quæ eſt ipſa extenſio, quam aptitudinalis quantitas non impedita confert) volunt hanc quantitatem aptitudinalem ſeparari poſſe ab actuali, ita ſcilicet ut materia etiam cum quantitate ſua poſſit unum in punctum collabi, quando quantitas impeditur a depromendo actu ſuo ſeu extenſione. Si petas quem uſum

habeat talis quantitas ab illis conficta (nam & ipsi clamant, *entia non esse multiplicanda sine necessitate*) Respondent servire illam, ut accidentia materialia proxime in se recipiat, eaque communicet materiæ, & hoc mediante reliquis substantiis materialibus: Ex quo primo patet eos ut ante dixi exspoliare substantiam omni affectione, & eam semper in accidentia rejicere: passionem enim omnem quæ materiæ propria est, quantitati hic manifeste transcribunt: Secundo etiam quantitatem illam aptitudinalem omni affectione destituram esse, quam intellectus attingere valeant, adeoque esse merum nihil, seu non intelligibile: nam quod ipsi dicunt, *entia non esse multiplicanda sine necessitate*, verum quidem est, sed nesciunt in quo consistat illa necessitas, & quid illa sibi velit; non aliud hoc est quam non agnoscendam rem, cujus nulla sit affectio, quam intellectus attingat, non habendum pro re id de quo nihil dicitur, quod ad ipsum sed tantum quod ad intellectum nostrum pertineat: Itaque multiplicant ipsi Entia sine necessitate, dum quantitatem illam aptitudinalem comminiscuntur. Etiamsi enim usum aliquem ei assignent, hoc nihil est, hoc pertinet ad ipsorum placita, & non ad rem; oporteret affectionem aliquam promere istius quantitatis,

tis, quam intellectu amplecti vel apprehendere possemus, quid enim est res illa, (nam rem esse volunt) quæ materiam cum non impeditur, extendit; quid ipsa est in se? Est aliquid quod extendet si non impediatur: hic conditio interponitur, & per consequens absolute nondum res ulla dicitur: Deinde quomodo extendet materiam ista quantitas? active: hoc dicere non possunt; spectaret enim potius ad qualitatem res talis: Formaliter ergo (sicut albedo formaliter nivem dealbat) at causa formalis frustrari effectu suo non potest (ut & clarum est, & ipsi alias non diffitentur) quomodo ergo quantitas illa ab effectu suo id est, extensione separabitur? Sed quæ causa sit horum omnium commentorum in Scholis, & vident facile, qui hodiernas non ignorant superstitiones, & hic ubi in Philosophia versamur nihil attinet latius persequi.

Hactenus de quantitate: Qualitas vero quæ ad actionem pertinet, quæque ad agendum data est substantiæ, ut ipsi volunt, plures habet gradus: Et imprimis excellentem illum præ reliquis, quam potentiam ac facultatem vocant: hæc enim datur substantiis ad cognoscendum, (unde potentia cognitiva: & sub hac intellectus atque sensus: & sub hoc sensus internus & externus: sub interno communis;

munis : item phantasia, item memoria: sub externo, visus, gustus, &c.) & ad appetendum (unde potentia appetitiva, seu appetitus, sub quo voluntas quæ respondet intellectui, & appetitus sensitivus, qui tot variatur speciebus, quot ipse sensus : singulis enim sensibus appetitus abest, quo quod juvat sensum illum appetatur, quod obest repudietur) & ad movendum (unde potentia loco motiva dicta est : sub qua naturalis, & sub hac gravitas, levitasque; & animalis, sub qua potentia progressiva, potentia volandi, & quaslibet partes corporis animali motu ciendi) Et Medici qui potentias illas Scholarum avidissime arripuerant, alium earum catalogum exhibent : quædam illis natutales, quædam vitales, & quædam animales; ad quas longum est abire : his enim potentiis omnes fere actiones expediunt, ita ut non immerito omnipotentes potentiæ per deridiculum dictæ sint a quodam : in his omnibus imprimis vehementer errant, quod actionem abscribant tam sæpe rebus cognitione carentibus, soli menti debetur actio, nam qui nescit quomodo fiat is non facit, quæ deductius vide, in Metaphysica vera parte prima. Deinde hoc commune quod de quantitate ursimus, hic etiam militat, mentis figmentis istis nihil relinqui substan-

ſtantiæ, quo ab intellectu apprehendi poſſit : denique his potentiis nihil expediri, nullam ſcientiam dari : ſi enim dixeris cadere quædam quod gravia ſint (cum gravitas non ſit aliud quam potentia cadendi, juxta eorum diſciplinas) nihil ergo dictum erit aliud, quam cadere quædam, eo quod cadere nata ſint, eo quod apta ſint ad cadendum quæ reponſio nihil continet præter meras nugas : Idem quod hoc exemplo oſtenſum eſt, ad reliquas potentias facile accommodatur.

Secundus Gradus eſt habitus, id eſt agendi facilitas, frequenti actione comparata : hinc etiam aliquid juris, ſeu influxus (ut loquuntur) in actionem eſſe voluerunt ; tribuunt autem illum potiſſimum animis noſtris, nam omnes ſcientias, omneſque virtutes, habitus quosdam eſſe volunt menti noſtræ inditos, per quos aut bene cognoſcamus, aut probe vivamus, cum promptitudine aliqua in quo rurſum magnus error eſt, cum enim animus noſter, ſeu mens tota conſiſtat in cogitatione (ut parte prima veræ Metaphyſicæ ſatis demonſtratum eſt) non poteſt in eo intelligi aliquid habituale, & ſine actu : quapropter rotunde dicendum eſt, quod res eſt, habitum omnem quem in nobis ſentimus, quaſi fundamentaliter ad corpus noſtrum pertinere :

ne-

neque enim passivitas illa canendi citharæ, quam citharœnus habet, alterius generis esse potest, quam illa facilitas, qua fera, quæ ante propter rubiginem forte vel similem asperitatem difficilius adducebatur, & reducebatur, oleo jam oblita, facile in posterum clauditur & recluditur: etiamsi enim omnis similitudo claudicet, (quod de hoc etiam faciles fatemur) tamen quæ jam proposita est, hactenus satis quadrat, quod facilitatem omnem movendi radicaliter in corpore, quærendam demonstret: nec alia est facilitas argumentandi seu in formas syllogismotum disponendi (quæ ad Logicam pertinet) nec animum ad hujus aut illius virtutis exercitium applicandi (quæ spectat ad Ethicam) nec alia ratio harum facilitatum: certum enim has & similes omnes a corpore dependere: quod decursu spirituum in has aut illas corporis & præsertim cerebri partes, aliter affectum est, aliterque dispositum ad offerendum menti species aliquas & fastigia impressa cerebro, in iis qui diuturno usu & actione spirituum per istas vias habitum sibi & facilitatem virtutum & argumentorum sibi comparaverint; quam in aliis, qui hac in re rudes sunt, atque inhabiles. Quæ omnia ad examen huc revocari, & quid in quibusque habitibus acquirendi corpus

mu-

mutatione sua longum esset, & perquam difficile, & forte humana his rite exsequendis non sufficeret industria. Hoc satis nobis esse debet, cum essentia mentis tota consistat in actu & vita, non posse ad mentem pertinere quicquam quod mortuum sit aut dormiat, & quasi per intervalla suscitetur; quod ad rationem habitus tamen necessarium est: item quod videamus in genere modum aliquem, quo facilitas illa, in qua habitus formaliter consistit, nullo negotio corporis constitutioni possit assignari: recte plura de iis dicere non est hujus loci.

Tertius Gradus qualitatis continet actus potentiarum & habituum, de quibus paulo ante actum est: spectant itaque ad hunc gradum conceptus & affectus (quæ sunt potentiæ cognitivæ, & appetitivæ quidem actus) ad rem, & motus (hic enim est actus potentiæ locomotivæ) nisi ut ipsi nollent; qua de causa tamen non intelligo: nulla enim hic est ratio, cum illas admiseris (conceptum & affectum, tanquam actus potentiarum a quibus illiciuntur) hunc a classe actum cum idem juris habeat, excludant. Qualitates hujus gradus non pertinent ad actionem, tanquam principia, actiones, seu causæ efficientes, sed potius tanquam termini. Et ut nomen ipsum sonat, tanquam

quam actus, qui in actione ipsa exercentur.

Quartus [1] Gradus qualitatis statui potest qualitas sensibilis; & hæc pro numero

1 *Quartus gradus qualitatis, &c.*] De speciebus illis intentionalibus quædam videntur illos inter influentias, vel qualitates occultas recensere: ut V. G. species ab albedine parietis diffusa ad oculum occulta, quodammodo concurrat ad conceptum visivum ipsius albedinis: sicut simili occulta virtute Luna causat æstum maris aut magnes trahit ad se ferrum: sed horum sententia penitus evanuit in Scholis, postquam inventum fuit illud, quo Scholæ adeo abripiuntur; nempe species visibilis immissa per exiguum foramen in conclave undique alias clausum, & lumini invium; deinceps enim existimatum fuit, ipsas species visibiles, quæ antehac tantum causa videndi putabantur, videri: adeoque has esse imagines quasdam & simulacra objectorum, a quibus immittebantur. Sed noviſſimus error pejor priore est: nam verum est, quod priores dixerunt, species tantum esse causas sentiendi, ipsas vero secundum se non sentiri: hactenus: nam quibus speciebus efficientiam aliquam tribuant, quoad sensum, vel conceptum sensitivum producendum, efficentes concurrant, in hoc etiam errant, posteriores vero non habent plus pro visibilitate specierum ex suo cubiculo obscurato, quam olim ex speculis habuerint priores, qui melius his censuerunt. Sicut enim non est necessarium, species ipsas videri, dum ab operculo reflectuntur ad oculum, sic neque necessum est in cubiculo illo obscurato ipsas species videri: cum nihil quoad hoc fiat aliud hic, quam in speculo: obscuritas enim cubiculi tantum requiritur, ne species a majori lumine obscurentur: sicut nox requiritur, ut stellæ fixæ appareant.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [222] - 212
PUBLIC DOMAIN

ro ſenſuum quintuplex: nempe viſibilis (ſub qua lumen, & colores) audibilis (ad quam infinita ſonorum diverſitas) &c. Hæ Qualitates pertinent etiam ad actionem, per modum moventis: movere enim videntur potentias ſenſitivas per modum objectorum: imo etiam efficienter occurrere ad actus noſtrorum ſenſuum ſtatuuntur: nam aut omnes, aut pleræque de iſto numero, ſpecies intentionales producunt (ut albedo a pariete in quo exiſtit per medium aëra diffundit uſque ad oculum videntis ſpeciem ſui, quæ ad oculum appellens, excitat ſenſum in eo hærentem, ad apprehendendam albedinem reſidentem in pariete, & ita fere de ſpeciebus aliorum ſenſibilium) ſed ſpecies illas commentitias eſſe, jam plus ſatis demonſtratum eſt: ideoque iis refellendis non diutius inhærebimus: tantum hoc admonemus, fruſtra eas eſſe, & ſolo motu ad organa ſenſuum appellente, totam illam diverſitatem ſpecierum intentionalium ſatis ſervari: ut oculo forte percuſſo, ſive à pugno importuni hominis, ſive per interjectum aërem aut ætherem ab igne vel a ſole, ſcintillæ nobis hoc ipſo obverſantur: & his evaneſcentibus, præſertim ſi in tenebris conſtituti ſumus, infinita calorum varietas; primo quidem lucidiores, ut flavus ruber,

ruber, &c. deinde vero obscuriores, ut viridis, cæruleus, &c. ubi, cum nihil aliud quam certus oculi motus, & fibrillarum partiumque ejus fibratio interveniat: videmus alias inepte species illas intentionales confingi. Sed de his satis.

Ipsas illas species intentionales etiam qualitates esse volunt: & reducunt eas ordinarie ad habitum: qua de causa, non intelligo, nec refert multum.

Ad qualitates denique etiam revocantur figuræ: ideo forte quod sint instrumenta agendi, licet alioqui in actionem ipsam vera efficacitate non influant (sic ipsi fatentur) quod in instrumentis mechanicis manifestum est: nam a figura sua habent aptitudinem suam, qua ad opus aliquod perficiendum valeant, ut in malleo, serra, calamo, &c satis patet.

§. 5.

De proprietatibus simplicibus Entis.

ADferuntur hæ tres, unum, verum, bonum: per bonum si numerum completum habere voluerint, intelligant justum: sub quo duæ nempe *perfectum* & purum: ita ut universim quatuor sint simplices entis proprietates nempe, unum verum, purum & perfectum. Certum est has quatuor proprietates omni enti, hoc ipso

ipso quo ens est (id est, certo modo illo qui subjectum dicitur, ab intellectu apprehensum) competere: quodque enim est unum est hoc quod est, sic mare unum mare est, etiamsi sint multæ undæ & innumeræ guttæ: sic etiam quodque est verum hoc quod est: nam mare verum mare est; alioqui enim minime mare esset: quodque etiam est perfectum hoc quod est: sic mare perfectum est; alioqui si quid desit quo minus perfectum sit, non mare, sed pars ut summum maris erit: Denique quodque est purum hoc quod est, nam si quid alicui admixtum sit, non id ipsum, sed compositum quoddam ex ipso, & illo quod admixtum est, aut miscella videbitur; sic mare purum mare est, nam pisces, & classes, & arenas esse admixta dixeris, jam non mare sed miscellam aliquam dixisti ex mari & commemoratis rebus: quæ res licet perexiguæ sint, & vulgari æstimatione nullo numero esse mereantur, comparatione facta ad ipsum mare purum: non tamen nullæ sunt: adeoque si mare absolute sumatur cum his & ἀκριβῶς (sic autem Philosophis agendum est) non mare, sed miscella erit, in qua magnam partem obtineat mare.

Hæ vero omnes proprietates nihil in reipsa ponunt, sed sunt extrinsecæ denominationes ab apprehensione intellectus no-

noſtri deſumptæ : nam *unum* quidem, ut ab hoc incipiamus, denominatio eſt quorumcumque ab intellectu noſtro ſimul & ſemel apprehenſorum, ſive vero intellectus rem ſimplicem & revera in ſe unam aliquam, ſive multas ſimul apprehenderit, hoc quicquid apprehenſum eſt, ipſa apprehenſione illa unum dicitur : ſicuti manipulus unus manipulus eſt, quia ſimul & ſemel manu apprehenduntur aliqua, etiamſi multa ſint, quæ ingrediuntur : ſic etiam quicquid intellectus apprehenſione ſua ſimul & ſemel corraſerit, & quaſi in faſciculum collegerit, ipſa illa apprehenſione & collectione unum dicitur. Et verum quidem eſt res aliquas quidem in ſe ſimplices & unas eſſe (ut etiam de ipſo Corpore in vera Metaphyſica oſtendimus) ſed hæc non eſt unitas illa tranſcendentalis ut vocant, hæc non eſt illa unitas quæ proprietatem entis conſtituit ; multa enim ſunt entia, multa ſunt per modum ſubjecti ab intellectu apprehenſa, quæ ſimplicia non ſunt in ſeſe ſed in diverſis coaluerunt (V. G. lapides, ligna, & reliquæ partes hujus mundi, quæ in Scholis Corpora naturalia paſſim vocantur, atque etiam ipſi nos homines) quæ proinde nullam habere poſſunt unitatem, niſi eam quam ab intellectu apprehenſione accipiunt, ut pote quæ de ſe non una ſed revera multa ſint.

Et

Et hoc etiam notandum est quavis intellectus nostri apprehensione objectum adæquatum quod apprehenditur constitui in ratione unius : ita ut etiam objectum apprehensum ea apprehensione, qua quid constituitur in ratione modi, induat tum rationem unius (unde non tantum entia una sunt, sed & modi entis uni sunt) specialiter, tum unitas attribuitur entibus, eo quod de illis solis affirmari possit : nisi enim per modum entis apprehensum quid fuerit, affirmari de illo nihil poterit, & per consequens unum dici non poterit : unde etiam ipsa unitas una unitas est, quæ licet modus aut proprietas entis sit, tamen ibi per modum entis apprehenditur aut exprimitur, adeoque de se ipsa sic expressa affirmatur.

Cum vero intellectus noster rem quamlibet apprehenderit, ut ut in se simplicem, semper tamen invenit plura aliqua in ea consideranda: quæ proinde consideratione sua licet non re ipsa in se diversa esse intelligit.

Agnoscimus etiam eo casu abstractionem & præcisionem, seu ut Scholæ loquuntur conceptum præcisionum, qua inter ea quæ realiter eadem sunt, unum ab alio abstrahimus & præcidimus, ut in casu posito acclive a declivi abstrahi dicitur; quæ tunc etiam magis diversa nobis

videntur, cum sub diversa sua consideratione, diversos usus in communi vita suppeditant: veluti acclive mæniorum contra hostes facit; declive huc nihil facit, sed ad facilem descensum mænibus comparatum est: sic etiam longum in ulna ad metiendum facit, latum atque crassum nihil eo referunt: similiter res se habet in cavo & convexo: nam carum ad occultandum se & ad latebram utile est, convexum vero ad manifestationem valet. Hi autem *diversi usus unius & ejusdem rei diversimode consideratæ*, sæpe imponunt populo ut in se diversæ res esse videantur, quæ tam diversos præstant usus, itaque & Scholæ hæc talia *virtualiter diversa vocaverunt*.

Hactenus de unitate; veritas vero similiter nihil ponit in re objecta; sed tantum dicit cogitationem nostram inde resultantem extrinsecam circa rem ipsam denominationem: verum enim dicitur, quia id ipsum est, quod intellectu apprehendimus, & non aliud, V. G. aurum verum esse dicitur, quia id ipsum est quod apprehenderamus, cum aurum apprehendebamus; & nota, cum *id ipsum* dicitur, novam ejusdem rationis insinuari apprehensionem: non enim id ipsum dicetur, nisi de uno apprehensum sit similiter ut ante: ita ut clare niteat totum hoc quod

ad

ad veritatem pertinet, intellectui noſtro & non rebus ipſis deberi.

Diſputant autem an veritas tranſcendentalis (ſic vocatur ea de qua hic agitur, quaque quodlibet verum id eſſe dicitur, quod eſt) diſtinguatur à veritate complexa (ſic vocatur ea veritas quæ in judicio conſiſtit, ſeu in æmulationibus.)

Et nihil opus eſt diſtinguere, cum enim aurum verum aurum eſſe dicitur (ubi veritas tranſcendentalis ſonat) nihil hoc aliud eſſe, quam aurum vere eſſe aurum (ubi veritas complexa ſonat) ante hac in Logica mea demonſtravi. parte. 1. Sect. 1. Cap. 1. num. 5. quæ ibi breviter videas licet.

Similiter *purum* atque *perfectum* quæ ſunt reliquæ proprietates entis ejuſdem plane ſunt conditionis, nam pure hoc eſſe dicitur quod apprehenſum eſt ab intellectu, & non plus apprehenſum eadem apprehenſione : ut purum aurum cum id apprehenſum eſt & non ſcoria ſimul, perfectum vero cum id apprehenſum eſt ab intellectu & non minus : ut perfecta domus cum ea quidem ab intellectu apprehenſa eſt, non vero inferior ejus pars tantum, pavimento & contignationibus conſtans ſine tecto.

Ex his facile patet contraria harum proprietatum, nempe *multa*, *falſum*, *impurum*, & *imperfectum* ſimiliter ad ap-

prehenſionem intellectus noſtri pertinere.

§. 6.

De Toto & Parte.

AD unitatem ſpectat totum : totum enim nihil eſt aliud quam plura unita, ſeu multa unum facta : cum vero impoſſibile ſit ut multa aliquando multa eſſe deſinant & unum fiant in re ipſa, oportet totam hanc unitatem & unionem, qua totum quid conſtituitur ad intellectum noſtrum referre : quæ proinde non eſt aliud, quam modus aliquis apprehenſionis noſtræ, qua quæ apprehendimus, ſimul etiam ſumimus, & quaſi in faſciculum colligimus, ſi enim bovem V. G. & equum ita intellectu apprehendamus, ut unum nullo modo ad alterum referamus, ſed habeant ſe ſicut equus de quo heri, & bos de quo hodie cogito, etiamſi ab intellectu eodem etiam momento apprehendantur totum tamen nullum ex iis conflari videtur : ſed oportet ut accedat certus ille modus apprehenſionis, quem jam ſimul ſumtionis vocamus, ut rationem totius indepiſcantur, alias enim in intellectu manent multa, qua multa.

Putant Peripat. cum vulgo unionem illam qua totum conſtituitur pertinere ad

res

res objectas, sed jam demonstravimus hoc fieri non posse: sæpe interim suppeditatur nobis occasio in rebus objectis, qua adducti simul eas sumimus, adeoque totum quoddam ex illis conflavimus, & imprimis sensus hanc sæpe subministrat occasionem, quo permoti imprimis ea quæ magis juncta sunt locis, magis etiam simul sumere & totare (liceat hoc invita latinitate dicere) solemus: V. G. lapides sibi inviciem appositos & impositos magis totare solemus, quam temere per agrum aliquem dispersos, & procul a se invicem distantes, inde his nomen nullum (quod totius indicium esse solet) inditum est; hi vero aut cumulus lapidum, aut paries, aut aliis similibus nominibus, totum aliquod significantibus efferuntur: imo ita proclives sumus, ad ea quæ juncta sunt loco totandum, ut ipsa unio, seu totatio nihil aliud fere popularibus illis Philosophis esse videatur, quam talis quoad locum conjunctio, aut certe hanc conjunctionem habeant inter præcipuas suæ unionis conditiones, ut etiam patere potest ex iis quæ supra diximus de penetratione accidentis & substantiæ, ex ipsorum mente: imo quæ totare solemus etiamsi forte dissita sint locis, aut eorum alterum vel utrumque etiam nullo loco contineri possit, ope tamen phantasiæ (cui vulgus plu-

rium esse tribuit, & quam intellectui sufficisse videntur, quem se à se expellere velle videntur) ad se invicem ducimus & in vicinis aut iisdem locis exponimus: V. G. ex Turca & Papa si continuationem aliquam facere sit animus (facimus id enim, cum volumus) alterum ex Constantinopoli, alterum ex Roma sua ope phantasiæ nostræ accersimus, & velut loco aliquo medio conjungimus. Sic etiam cum hominem dicimus, totum aliquod ex mente & corpore conflamus, cum quo mens in loco esse non sustineat, ope tum imaginationis extensionem aliquam ei adscribentes, compellimus eum intra corpus & non tantum ei conjunctam esse loco, sed penetrare & in eodem ambo loco esse jubemus, non tantum omnia quæ locis conjuncta sunt totare solemus: V. G. hos asseres atque palos quibus incumbimus, totamus & mensam vocamus: aërem tum adjacentem, & pavimentum subjectum non adscisimus in eundem fasciculum: Et aërem quidem vulgus habet pro nihilo, quod & Aristoteles diserte noverat, & minime ignorandum est ei cui vulgi cogitationes rimari propositum est, pavimentum omne non esse ejusdem artificii & usque intelligimus, atque ideo illud etiam in istum numerum non admittimus.

To-

Totantes ergo seu simul sumentes, mentem reflectimus ad conjunctionem localem, & ad usum aliquem, quem præstant notiones sic conjunctæ, alioqui aliquando pro libitu quævis indiscriminatim in fasciculum illum totius colligimus, tunc tamen eis & conjunctionem aliquam & usum etiam adscribere vel affingere solemus.

Quæ totando simul sumpsimus, *Ea vel copulatim, vel disjunctim enumeravimus:*

1 *Ea vel copulatim vel disjunctim enumeravimus*] imo ea semper copulatim enumeravimus: impossibile enim est, ut multa simul sumamus quin & hoc & illud sumserimus, in quo manifeste apparet copulatio: sed postquam simul sumendo copulavimus, aliquando deinceps eadem illa, quæ copulaveramus disjungimus, hunc modum intellectus nostri exprimentes illa particula *vel*, ex quo clare patet totum actuale prius esse toto potentiali, semperque nos antequam totum potentiale conficiamus, jam ante totum actuale ex iisdem partibus confecisse, ita ut totum potentiale in intellectu nostro sit modus quidam totius actualis: quod ipsæ etiam voces, quibus utrumque designamus, satis aperte indicant, nam accedens particula *vel*, quæ totum potentiale constituit, eadem si auferatur, relinquit totum actuale: sicut oblato motu a re aliqua manet extensio, quæ & in re mota ante fuerat, & quæ proinde modificatum motus esse intelligitur: sic etiam totum actuale remanet ablata præcisa ratione totius potentialis (quæ ratio tota

necessum enim est, cum intellectus plura aliqua simul sumit, ut inter sumendum illo modo sit præditus, quem exprimimus per illam particulam *Et*, aut isto modo quem exprimimus aut significamus per istam particulam *vel*; quarum quidem hæc disjungit, quæ simul sumta jungeret illa vel copulat: propositis enim pluribus & ab intellectu simul sumtis, aut verbotenus interjicimus *vel*, aut omittimus; hoc ipso vero quo omittimus, & interjectum intelligitur ut hic. *Veni vidi vici.* Quia *vel* interjectum non est, quod ipso

Et

tota consistit in ea dictione, cove modo dicendi, quo intellectus noster dicit *vel*) ipsumque totum actuale in toto potentiali jam ante etiam uisse intelligitur, quam auferatur τὸ *vel*, ex quo jam etiam patet totum; sed adjicit rationi totius modum disjungendi, quem exprimit particula *vel*; jam vero quod non est purum tale hoc absolute non est tale: ut satis patet ex §. præced.

Quod est totum potentiale respectu alterius respectu istius alterum illud est semper totum actuale.

Sic V. G. hæc duo, A. & A. vel B. habent se ut totum actuale & potentiale: A. quidem respectu A. vel B. est totum actuale, quia A. est A. vel B. & præterea adhuc aliud quid. A. vel B. autem respectu A. est totum potentiale, ut satis liquet. Nota hic insuper, in affirmatione prædicatum fere semper est totum potentiale respectu subjecti, & subjectum totum actuale respectu prædicati, in consequentia autem antecedens est totum actuale respectu consequentis, & consequens respectu antecedentis totum potentiale.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [234] - 224
PUBLIC DOMAIN

Et interjectum intelligitur. Ex quo patet jam omne totum aut actuale aut potentiale esse idemque sub diversa consideratione & actuale & potentiale V. G. *arbor* quia hæc & radix & rami & truncus est simul ab intellectu sumta, hinc totum actuale est, quia vero eadem sub alia consideratione vel laurus, vel quercus, &c. est, hinc etiam totum potentiale seu potestativum vocatur. Et totum potentiale (quod bene notandum est) non sumit suas partes disjunctive seu per *vel* sed copulative seu per *Et*, ast enumerat disjunctive, cum enim intellectus vel laurum, vel quercum, &c. dixit, non vel *laurum* sumsit vel *quercum*, sed & *laurum* sumsit & *quercum*; enumeravit vero hoc pacto vel *laurus* vel *quercus*. Totum actuale aliquando utramque suam partem, seu omnes suas partes in recto dicit, seu in nominativo casu: ut cumulus lapidum non est enim aliud quam ille lapis &c. simul sumpti; aliquando vero illam partem in recto, & alteram in obliquo dicit: ut homo, est enim mens cum corpore, item mensa, est enim solidum aliquod corpus cum certa figura: item vestitio: nam eum qui vestitus est in recto dicit, vestem vero in obliquo, hoc modo, vestitus est quidam cum veste certo modo applicata: totum quod partes suas in

recto dicit integrale; quod alterum in recto, alterum in obliquo dicit vocatur essentiale: Eaque quæ in recto, materia, quæ in obliquo dicitur, forma vocatur. Cum autem totum hoc negotium, tum disjungendi, tum copulandi, tum in recto, tum in obliquo dicendi, nequaquam res ipsas concernat; debeatur autem, toto intellectui nostro, patet totum potestativum atque actuale, item essentiale & integrale, non esse in rebus extra nos positis sed pendere penitus ab operatione mentis nostræ & modo quodammodo agendi ejus, quem inconsideratiores rebus ipsis assignant & affigunt, putantes extra nos in rerum natura hæc atque similia versari.

§. 7.

De uno per se seu Ente unius naturæ, & uno per accidens.

MIrum mysterium scholarum hoc est in quo difficile cogitationes earum assequaris & ad calculum revoces (quod in hactenus recensitis eorum dogmatibus satis impetrasse videtur) quia non constant sibi, & se mutuo in Circulum plerumque sequuntur & præcedunt. Et primo quidem notandum est ens unius naturæ, dignitatis & melioris notæ censeri

ri: unde invidia apud eos non vacat, qui dixerit aut hominem, aut Christum non esse ens unius naturæ, non esse Ens unum per se, etiamsi ipsi alias totidem fere verbis profiteri soleant, Christum duabus naturis constare humana atque Divina, hominem & spirituali & corporali natura; sed inquiunt, Christus & homines alii sunt entia unius naturæ in alia significatione, prout sc. ens unius naturæ Enti uni per accidens opponitur, quid vero hæc sint & in quibus rationem horum collocatam esse velint nunquam satis apte dixerunt: Nam cum Ens unum per accidens id esse dicunt, quod vel ex substantia vel accidente conflatum est vel ex duobus accidentibus, vel denique ex duabus substantiis completis (primi generis est compositum ex homine & albedine, secundi generis est compositum ex intellectu & conceptu, tertii generis est ex cumulis lapidum) manifeste discurrunt in circulum, nam neque accidens, neque substantiam, neque substantiam completam incompletamque definire ullatenus aut solent aut possunt, nisi penes Ens unum per se & unum per accidens, quæ ex supra dictis de substantia eisque gradibus manifesta sunt.

Oportet igitur fere exempla eorum quæ in substantiarum & accidentium classe

referunt, quæque completa & incompleta censent, usu potius quam certa notione atque definitione internoscere, quæ per se una, & quæ per accidens una esse velint: Nam cum in classem substantialem, & corpora & spiritus horumque species referunt (quæ supra vide ubi de gradibus substantiæ) inclassem autem accidentium fere quantitatem & qualitatem hujusque quam plurimas & infinitas species reponant (de quibus etiam supra consule §§. de quantitate & qualitate) tum si quid ex illa classe cum alio quod hujus classis est, ab intellectu combinatum & conjunctum fuerit, Ens unum per accidens vocabitur, similiterque si duo accidentia ex diversis classibus aut gradibus sumpta fuerint, (nam quæ unius gradus sunt accidentia, si apposita & rite sibi conjuncta fuerint, Ens unum per se constituere possunt: ut duæ albedines in eodem pariete inter se appositæ) Ens unum per accidens constituetur: quale est compositum ex intellectu & conceptu, item ex sensu & conceptu sensitivo, item ex voluntate & affectu, item ex quantitate & accidente aliquo materiali in illa recepto: imo si sumta fuerint duo accidentia ejusdem gradus in diversis subjectis residentia, ens unum per accidens esse videbitur, ut compositum ex albedine parietis & albedine nivis ei adjacentis. Denique si sumtæ fuerint duæ

substan-

ſubſtantiæ completæ (ut duæ aquæ in diverſis ſitulis erit ſimiliter Ens unum per accidens, ſed ſi duæ forte aquæ in eandem ſitulam conjiciantur & committantur exſurget Ens unum per ſe. In quibus omnibus ut liquido patet bene cogitanti, multum tricarum eſt ſolidæ rei nihil omnino: imo ne quidem tale aliquid, quod intellectui rite affecto adſcribas; ſed quod fere totum ſe debeat Phantaſmatibus quibuſdam & otioſorum hominum ſomniis atque commentis.

Quod vero homines paſſim, & etiam ipſum Chriſtum (neſcio enim quo genio abducti, miſcent ſacra profanis & utraque mixtione illa confundunt ac inquinant) velint eſſe ens unius naturæ; nihil decretis ſuis conſentaneum cenſent: utraque enim hic ſubſtantia completa eſt corporalis & ſpiritualis paſſim in hominibus, itemque Divina ac humana natura in Chriſto: ſed ipſi malunt fingere, neſcio quid mancum atque defectivum, & quod compleri ab alio adhuc poſtulat, in hiſce ſeu naturis ſeu ſubſtantiis, quam a nugamentis entis unius naturæ recedere, quod ſibi Phantaſiæ libidine confinxerunt: itaque dicunt & impudenter dicunt naturam divinam non eſſe completam, complendam eſſe per ſubſiſtentiam & perſonalitatem aliquam, mentes item noſtras ſeu nos ipſos incompletas tantum & inchoa-

tas quasdam res esse, quæ finiendæ complendæque sint per Corpus, in quibus omnibus error non unus est sed multiplex: imprimis quod res aliquas imperfectas & incompletas esse velint quod falsum est, & clare pugnat cum proprietate entis, quæ jubet rem quamque perfectam esse, quam & illi agnoscunt atque etiam recipiunt: imperfecta igitur res dicitur, cum ad fasciculum rerum in quo ipsa comprehenditur, comparata fuerit: ut radix atque truncus simul sumta dicuntur arbor imperfecta, quia desunt rami, qui in fasciculo arboris simul comprehenduntur, quosque simul cum trunco atque radice, illo vocabulo *arbor* complecti solemus; non vero quasi truncus, aut radix aliquid in se imperfecti sint (sunt enim hoc quod sunt, & hoc perfecte sunt, atque complete) sic etiam mens nostra perfecta res est, & completa etiamsi corpori unita vinculo divini arbitrii atque decreti, quo jubet & vult, ut & à Corpore patiatur quædam, & quædam vicissim agat in illud (de quibus & Metaphysicam veram & Ethicam nostram consule ubi de inspectione sui ipsius) similiter & Corpus perfecta res est, quod simili ratione facile convincitur: Et mirum est eos scriptorem calamo suo instructum, facile considerare ut duas substantias completas involventem, nempe ca-

la-

lamum, & ipsum scriptorum, hoc ipsum vero in homine ubi quo ad hoc par ratio est, intelligere aut non posse, aut obstinate nolle. Homo non est igitur proprie Ens unius naturæ (ipsi ut supra vidimus per imprudentiam & non satis sui memores id ipsum aliquando diserte profitentur) seu non est ens unum natura (sicut mons & vallis, itemque Circulus & area, quodammodo una natura seu fatali necessitate sunt) sed est unum arbitrio & decreto Divino, quo ita ordinantur partes hominis inter se, ut mens in Corpus, & hoc in illam agat, (tali pacto ut id alias à nobis explicatum est vide loca citata) nulla autem hic est natura, nulla necessitas, nulla etiam naturalis inclinatio ac propensio qua anima corpus & hoc vicissim animam appetat, quas necessitates Athei & propensiones Peripat. gratis confinxerunt. Etiamsi enim mens humana & corpore quodammodo induta amare compedes illas, ad dissolutionem suam à corpore, magnopere fovere videatur; tamen hoc aliud est & plerumque ex vitio ut in Ethicis ostenditur.

§. 8.

De Universali & Singulari.

AD unum universale etiam spectat, ut vel ipsa nominis ratio manifestum facit,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [241] - 231
PUBLIC DOMAIN

cit; universale enim dicit, quasi unum in multa conversum, aut multa in unum conversa, fit hoc universale abstractione mentis, cum quid abstractum est multis commune est: est igitur unum abstractione, seu illo modo cogitandi nostro, quem conceptum præcisionem, seu abstractionem & præcisionem in Scholis vocamus, & est multo communior eorum à quibus abstractum est; ut later universale quoddam est, quatenus ab hoc aut illo latere abstractus est, iisque omnibus communis, & ita ab intellectu sumtus atque comparatus, ut de his à quibus abstractus est, affirmari possit: Quæ abstractio in eo consistit, quod intellectu consideremus laterem aliquem, non admittentes in considerationem nostram quod hoc loco positus sit & in parietem forte cum aliis lateribus compositus, aut calce obductus, aut fuligine in camino aspersus, aut calidus aut frigidus. Secludentes enim hæc & similia à consideratione nostra (nec enim fieri potest, ut nihil horum, in eandem cum latere cogitationem veniat: ideoque considerationem & non cogitationem dixi) supereſt tantum aliquid tale, quod pluribus commune est, seu de pluribus dici potest, nempe de omnibus individuis lateribus.

Quoniam vero *Abstrahentium non est mendacium* (ut Aristoteles optimus hic dicit)

dicit) universalia in rerum natura esse concedendum est: cum enim abstraximus rite aliquid abstraximus, & hoc aliquid à nobis & cogitationibus nostris independens est, ut ex exemp. lateris de quo nunc agebamus, manifestum fit, nihilominus hoc etiam verum est universalia ut sic non esse in rerum natura, seu non ita abstracta & præcisa in se ipsis sunt ut nos illa mentis nostræ opera præcidimus: quod per se manifestum est, cum præcisio illa, utpote modus aliquis cogitandi ac dicendi noster, nihil in re ipsa mutare possit, *nam propter nostrum dicere nihil mutatur in re*, ut habet oraculum sapientis.

Patet interim ex his, non omni abstractione universalitatem parari; sed tantum ea, qua quod abstractum est commune sit, seu tale ut de eo à quo abstractum est, aliisque quæ similiter in ipso conveniunt affirmari possint, itaque cum linea abstrahitur à superficie, punctum à linea, item superficies à corpore determinato & particulari, & hoc itaque à Corpore simpliciter dicto (de quibus vide in Metaph. vera parte 2. seu Σωματολογία.) non fiunt universalia: nam nec punctum de lineis, nec hæ de superficiebus, &c. affirmari possunt, eo quod quæ istius abstractionis abstracta fuere, non sint communia his à quibus abstrahebantur.

Ex quo etiam patet magnos vulgo errores

rores committi, circa universalia : nam similitudine quadam loquendi adducti, putant se tunc universalia quædam feciſſe, cum mentis operam aliquam ſuam extrinſece ad plura applicaverint, ex re ipſa nihil abſtrahentes, ſic in Scholis non dubitant ſubſtantiam & ens tanquam univerſalia & generaliſſima quædam genera, aut tranſcendentia (ut loquuntur) nobis venditare, cum tamen hæc, ut ante vidimus nihil abſtrahant ab illis rebus de quibus dicuntur, ſed tum modum aliquem intelligendi noſtrum importent, & proinde ad univerſale minime pertinere poſſint, ut quæ ſine abſtractione non habeantur. Secundo etiam errant ſimilitudine aliqua abrepti, dum V.G. corpus putant eſſe univerſale, putant eſſe abſtractum ab individuis corporibus : exiſtimantes ſicut later, ab individuis corporibus abſtrahi poteſt, ita corpus etiam ſic ſimpliciter pronunciatum a quibusdam ſimilibus individuis ſuis abſtractum eſſe; quod falſum eſt : nam contra corpora particularia mentis opere abſtracta ſunt a corpore ſimpliciter dicto, hoc vero corpus ſimpliciter dictum unum, ſimplex individuum & ſingulare eſt (ut in Metaph. Vera Parte 2. ſatis demonſtravimns) corpus igitur non eſt univerſale ad lapides & ligna, &c. (ut nimis ruditer in Scholis) non

&

& hæc ſunt Corpora ſed Corporea, ut ſæpe a nobis demonſtratum eſt: nec eſt quod lapidem magis corpus eſſe dicas, quam ſtatua quæ ex ligno facta eſt lignum eſt: quod poſtremum quamvis aliquando populari etiam phraſi dicatur, rigide tamen & ἀκριβῶς loquendo, falſum eſſe, nemo eſt, qui non intelligat, ligneam potius eſſe ſtatuam, quam lignum, omnes intelligunt; hoc igitur errore tam craſſo ſublato, reſtat ut corpus dicant eſſe univerſale comparatum ad individua corpora, ſeu ad has & illas magnitudines extenſioneſque: ſed & hoc commentum concidit: nam particularia iſta corpora reapſe non diſtinguuntur inter ſe, reapſe ſunt unum illud ſimplexque corpus, una illa atque individua extenſione quæ qua qua verſus in infinitum procurrit, vide Metaph. veram loco citato.

Similem errorem errant in mente, nam & hæc cum ſimpliciter dicitur non univerſale quoddam eſt, ſed unus ille & ſingularis Deus prorſus individuus & ſupra omne quod dici poteſt unus, menſque illa non abſtrahitur, ab individuis mentibus; ſed contra hæc abſtracta ſunt ab illa, ſicut & de Corpore diximus: vidit id olim Philoſophorum facile Princeps Pythagoras; ſed popularia quædam contra ipſum urgent argumenta, quæ Cajus Velejus a-

Ci

Ciceronem lib. 1. De natura Deorum sic proponit, *nam* Pythagoras *qui censuit animum esse* Deum *per naturam rerum omnem intentum, & ex quo animi nostri carperentur non vidit distructione humanorum animorum discerpi & dilacerari Deum. 2. cum miseri animi esse quod pleriisque contingeret, tum Dei partem esse miseram quod fieri non potest. 3. Cur ergo quicquam ignoraret animus hominis si esset Deus. 4. Quomodo Deus iste si nihil esset nisi animus, aut infixus, aut infusus esset mundo corporibusque humanis: hæc ille.*

Et facile respondetur inter vere sapientes, vel solo schemate eorum quæ de Corpore dicta nobis sunt Part. 2. Metaph. Veræ.

Quod enim dicit *distructione humanorum animorum discerpi ac dilacerari Deum* non magis hoc verum est quam præcisione corporum particularium, & superficierum, ac linearum, corpus simpliciter dictum discerpi: abstractio enim illa & præcisio mente perficitur, quæ rem ipsam quam præcidit abstrahitque, integram illabatamque relinquit: quod deinde dicat *cum miseri animi esset nostri, tum Dei partem miseram fore*; non magis hoc verum est, quam cum Corpora particularia moventur & figuris suis circumscribuntur, corpus simpliciter, aut aliquam ejus partem (pars vero hujus nulla est, quod in

Σώμα-

Σωματολογία vide) moveri vel figuratam esse.

Miseria enim illa quæ animos multorum hominum occupat non pertinet ad Deum tanquam miseria ejus, sed tanquam cognitum atque perceptum ab illo, quod si in vero bono & admittendum sit, admiserunt etiam veterum Philosophorum quamplurimi, dum cum Corpore cruciatur, beatum nihilominus esse, eo quod contra animi ejus sententiam fiat nihil, isque dolor tantum cognitio, non vero ut dolor & tormentum ad virum bonum pertineat, quia hic se abstrahit a sensibus suis & cum ea sola parte sua quæ rationis particeps est, conspirat : quanto magis sublimiori prorsus & divino modo intelligendum erit in Deo. Quod deinde dicit, non ignoraturum animum hominis quicquam, si a Deo, non magis verum esse debet, quam corpus particulare, puta quod jam lapidis forma circumscriptum est, quia sumtum est a Corpore simpliciter dicto, quod in infinitum quaqua versus protendi demonstravimus, ipsum hic pariter in infinitum protenditur : Deus igitur est mens simpliciter & absolute (ideoque necessum est ut attingat quæ mens attingere potest, sic simpliciter omnia comprehendere, seu sit omniscius) mens autem humana præcisa

&

& abstracta ad pauca tantum se extendit, ut conscientia nobis notum est. Denique quod dicit Deum si verus animus sit *non posse infundi & infigi muudo*, nullam habet difficultatem nisi in Epicuri Schola, cujus Cajus Vellejus discipulus erat.

Hic enim docebatur Deum humana natura circumscriptum, atque terminatum, pellucidum & exilem, in intermundiis versari: quæ omnia nihil absunt ab anilibus fabulis, nec refutationem aliam merentur, ut & Lucius Cocta apud Ciceronem loco citato vix aliter quam ridendo & reprehendendo, & tamen solide Cajum Vellejum refutat. Nos scimus & intelligimus bene, Deum ubique esse ut esse mens potest, id est, cogitando, cognoscendo, inquam, atque volendo, & volendo omnia efficacissime operando.

Et certe cum bene hanc rem perpendimus, nos ipsos examinando: cum id quod ad præcisionem, abstractionem, limitationemque pertinet, à nobis removerimus, clarissime Deum ipsum in nobis agnoscimus & nos in illo: remove enim à te, limitationem illam, qua intellectus tuus ita circumscriptus est, ut in futurum prospiciat nihil, de præteritis pauca recolat, de præsentibus non multa sciat, multa de earum natura ambigat, multa ignoret:

his

his omnibus limitationibus (quæ ad abstractionem præcisionemque pertinent, & imperfectiones vulgo dicuntur) ablatis, quid nisi Deum ipsum infinitam mentem à qua præcisus fueras apprehendis? sicut ergo lineam esse in Corpore, corpusque in linea hoc ipso deprehendimus, quod præcisionibus & abstractionibus, quibus illa in esse suo constituitur, ablatis nihil aliud intelligere possimus, quam ipsum Corpus (nam lineam longitudinem dicit abstractam & præcisam à latitudine ac crassitie, tolle has præcisiones longitudinem habebit in linea; hæc vero latitudinem atque crassitiem necessario secum importat, id est, integrum & completum Corpus ut vera Metaph. parte 2. satis demonstravimus) sic etiam cogitate seu mentem tuam invenies in illa cogitationem cum præcisionibus & limitationibus, quas paulo ante recensuimus, deme illas præcisiones, puram putamque invenies cogitationem, illimitatam, illæsam, integram, ad omnia se extendentem, id est, Deum ipsum, unde non immerito ἀγχόγειφ⊙ *noster*, *non longe est ab unoquoque nostrum: in ipso vivimus, movemur & sumus*, ubi pulchra gradatione, cum dixisset nos in ipso agere, & in ipso pati (quæ duo ad existentiam nostram pertinent, tandem etiam subjunxit nos in ipso esse, ubi

ubi directe essentiam & naturam nostram innuit) scio equidem in his esse profanis & popularibus ingeniis difficilia intellectu imo forte ridicula; sed hos nos abstrahere non debet absterrere, manifeste scimus enim, in Deum hoc primum, hoc medium, hoc ultimum excurrere ineffabile est, cum enim esse optimum intelligamus, modos tamen ejus quibus & est & operatur ignorari plerumque cogimur, quod vel maxime in illos quadrat, qui popularibus præjudiciis impediti nihil assumendum esse putant nisi quod verbis & vocibus nostris per anologiam à sensu petitis (tales sunt pleræque) ita describatur & depingatur, ut non ab oculis mentis sed Corporis versari videretur.

Videmus itaque duas res singulares, mentem inquam atque corpus, creditas hactenus ut universales: illam (& à veteribus passim vocatur præsertim Anaxagora, Pythagora, Platone & similibus magnis Philosophis, qui mentem simpliciter & Deum pro iisdem habent) hoc vero creaturam, tum modos utriusque varie abstractas universalia suppeditare.

PARS

PARS ALTERA.

De Modo Entis.

MOdus Entis non eſt aliud Peripateticis, quam ratio prædicati ſeu adjectivi, ſeu modus ille intelligendi noſter, quem adhibemus ei quod de aliquo affirmare conſtituimus. Dico non quod Peripatetici dicunt, ſed quod conſentaneum illis eſt dicere, cum enim ens, ut præcedente parte vidimus, non eſſe aliud, cum penitius cogitationes eorum diſcutimus, quam modum ſubjecti deprehenderimus: reſtat ut modus Entis quem Enti apponunt, non aliud ſit quam modus prædicati ſeu quod idem eſt adjectivi; ideo ut tota eorum Metaph. ad rationem ſubſtantivi & adjectivi pertineat, quod idem ipſi objici ſibi ægre ferrent (ut pote Grammaticam hanc & ſe indignam commentationem exiſtimantes) ſed tamen ita eſt: neque eſt quod eos hujuſce commentationis pudeat (ut quæ Philoſophis digniſſima ſit pertineatque ad primos, generaliſſimos frequentatiſſimoſque modos noſtrarum cogitationum) ſed modi commentandi ſui: quod cogitationum noſtrarum eſt, rerum cogitatarum facere; ſed hujus

jam satis superque querelæ est.

Nota adjectivum & Prædicatum idem prorsus esse (diximus de hoc aliquid & obiter ingessimus in Logica nostra, sub initium ubi de substantivo & adjectivo) cum enim substantivum contineat in se semper notam subjecti seu ens, nempe vel expresse vel implicite, ut pote jam satis demonstravimus, eaque nota in prædicato supervacanea sit, excidit suapte natura, quotiescunque substantivum in locum prædicati verbotenus compellitur, hoc vero excidente, non restat ex substantivo nisi adjectivum, quod locum prædicati infarciat: adeo ut, sicut adjectivum se solo non implet locum subjecti, ita substantivum excedat locum prædicati: hoc in excessu, illud in defectu peccat, cum istis locis sibi proportionatis intruduntur, quod ex ipso sensu manifestum sit; nam si dixeris *hoc est globus* (ubi substantivum ex parte prædicati constitutum videtur) cum *globus quid rotundum, ens rotundum, quod est rotundum*, & si quibus aliis vocibus notam illam subjecti, quæ in τὸ *globus* continetur, libeat exprimere: clarum evadit, substantivum illud globus non integrum, remanens loco prædicati, sed solum adjectivum quod in illo includebatur præstare: *nam hoc est globus, id est, hoc est quod est rotundum*: ubi clare

clare excidit ens seu nota subjecti in prædicato posita, tanquam penitus redundans & inutilis, adeoque manet solum adjectivum in prædicato.

Hoc est ergo Peripat. consentaneum, hoc nitidum & ordinatum statuere: Ens quidem esse modum subjecti, sed cum in vocibus versamur notam subjecti, modum entis esse modum prædicati, sed ipsi de modo entis non sic philosophantur neque tam apte dissentanea quædam dicunt, & quæ ipsa etiam non bene inter se cohærent, nedum cum præcedentibus. Potius itaque definitionem modi, partionem, & quædam ejus capita nobis ingerunt: primo existentiam (nam hanc ens significat) ens enim sæpe ab illis definitur, *quod existere potest*: ideoque *existentia* consignificatur per ens: sed posse non est primum: itaque nullam *entis* affectionem ista sua definitione denotant.

Secundo inter modos recensent differentias, quibus ens contrahitur, nempe in se (quæ est differentia substantiæ) & in alio (quæ est differentia accidentis.)

Et Tertio denique illa quæ disjunctive reciprocantur cum ente; sic reciprocantur cum ente *necessarium & contingens*, item *causa & causatum*: quorum singula seorsim dicunt esse modos entis.

Philosophi aliqui probi dicunt modum

esse, id quod sine altero intelligi non potest, cum alterum posset sine hoc, ut motus intelligi non potest sine spatio, potest spatium sine motu; sed difficile id multis est visum, nihil enim ab intellectu nostro capi potest plene, quin deducatur statim ad cognitionem alterius cujuscunque, Corpus enim sine mente quomodo intelliges? cum illud cogitari non possit, nisi divisibile cogitetur, divisibile vero sine divisivo, id est, sine mente cogitari non potest; cum enim Corpus dividi possit, non nisi a mente dividi potest; mentem etiam quomodo sine Corpore cogitabis? cum mens etiam sine ideis & notionibus suis cogitari non possit, inter quas præstans aliquid & præclarum est, quod extensionem & corpus complectitur, ita difficile dictu est rem unam sine alia cogitari omnino posse, & quî aliter eveniat, ut intellectus noster a cognitione cujuscunque rei tam facile dilabatur in cognitionem alterius cujuscunque? idque non memoria utens, quæ rem in re non affert, sed quasi juxta rem, sed mero ingenio, cujus est rem in re deprehendere, sicuti æqualitas angulorum ad verticem oppositorum, cum duæ rectæ se secuerint, deprehenditur in hoc axiomate: si ab æqualibus auferas æqualia vel idem, residua erunt æqualia: ubi intellectus noster non reminiscentia

(in

(in quo errat Plato) sed ingenio utitur, videt rem in re, illam tanquam aliquid hujus, hanc tanquam aliquid illius; sic quacunque re proposita intellectus in illa facile deprehendit aliam rem quamcunque, quod si memoria hic uteretur, non res in re, sed res juxta rem occurret; sicut forsim Petro obviam facto, qui sæpe ambulat cum Paulo meo menti nostræ occurrit etiam Paulus; sed per memoriam non per ingenium, non enim videmus eum in Petro, qui est modus agendi ingenii, sed aliter & velut juxta eum (qui est modus agendi memoriæ) quomodo hi duo modi inter se differant, statim prospicias ex duobus exemplis (quorum prius ingenii, posterius memoriæ est) quæ mox adferebantur, cum igitur ingenio utentes, quocunque forte proposito dilabi possemus ad aliud quodcunque, necessum est rem quamque ad aliam pertinere, & omnia quodammodo unum esse ut egregie Permenides apud Platonem in isto libro qui Permenias inscribitur.

Ut igitur notionem aliquam modi demus, recurrendum est ad abstractionem mentis, hac enim abstractione instituta: siquidem quod abstractum est, quodque residuum mutuas non ingrediatur considerationes, seu potius neutrum ad alterius pertineat considerationem, neutrum

etiam alterius modus erit : V. G. acclive præscinditur a declivi : neutrum sine altero cogitari potest (hoc est in confesso) neutrum pertinet etiam ad alterius considerationem : nam in acclivi nulla est consideratio declivis & contra : sed sunt hæ considerationes inter se quodammodo interpositæ, hinc igitur ex abstractione ista modum non nanciscimur, neque enim acclive declivis modus, nec hoc illius modus est. Instituta vero abstractione qua quid abstractum est ad residui pertineat considerationem, modus hoc ipso inventus est, nam tale abstractum, talis residui censetur modus : sic longum est modus lati : instituta enim abstractione, qua longum a lato præscindatur, longum quidem pertinet ad lati considerationem nam in lato longum etiam considerare solemus, non contra : nam latum non necessario ingreditur considerationem longi : eadem de causa latum est modus crassi, & Corpus particulare Corporis simpliciter dicti modus est, Corpus vero particulare alterius particularis Corporis modus non est, etiamsi enim mutuas considerationes quibus cogitantur necessario ingrediantur, impossibile enim est unum Corpus particulare cogitare sine residuo a quo abstractum est, neutrum tamen alterius considerationem necessario in-

ingreditur. Simili modo universale modus consensus est ejus a quo abstractum est.

His ita interjectis de modo speculationis (fatemur autem ingenue illam hic nondum exhaustam esse, & restare pulchras in ea difficultates) revertamur ad *institutum* & Peripateticorum sententias persequamur: hoc interum observantes, quod Cicero Quinto Tusculanor. Præcipit acute disputandum illud est, non quod *quisque dicat*, sed quid cuique dicendum sit videre: *sic fecimus*, & de modo diximus mentem Peripateticorum, non quod ipsi hæc eadem dicant, sed quod iis hæc dicenda sint, si consentanee loqui voluerint, interponimus tamen plerumque etiam non tantum quid dicendum iis sit, sed etiam quid dicant: hoc interim nota, *adjectivum* esse talem aliquem modum, qualis a probis Philosophis describitur: *albus, dulcis, &c.* non possunt cogitari sine his, quæ talia dicunt: hæc vero ipsa videntur aliquatenus cogitari sine iis a quibus hæc esse denominabuntur.

§. 2.

De Modo perfecto. & imperfecto. De Recula, & Entitatula.

MOdus perfectus est, qui se solo, & sine ullo alio addito, implere potest

locum prædicati, ut *albus*, *dulcis*, &c. stant enim se solis ex parte prædicati in his affirmationibus, *saccharum est dulce*, *nix est alba* : imo *currens* perfectus modus est, etiamsi hic conjungatur cum alio, & tantum partem prædicati sibi vindicet : *Petrus currit celeriter* : potest se solo stare in loco prædicati, etiamsi solus non ster, quod ad rationem modi perfecti satis est.

Modus imperfectus est, qui tantum partem prædicati constituere potest, ut *circa*, item, *ex*, &c. nihil enim horum seorsim stare potest ex parte prædicati, sed ubi in istum modum conjecta sunt, hoc modo : *hæc civitas est circa mare*, *hæc mensa ex ligno est*; talia etiam sunt *pater*, *filius*, *dominus*, &c. quæ relata in scholis communiter vocantur : talia sunt inquam ante supplementum obliqui, quo expresse vel tacite supplenda sunt : nam *Petrus est pater*, pendet sententia nisi expresse vel implicite apponas obliquum hujus, illius, puta Pauli, Johannis, &c. Ex quo liquet relata illa in Scholis decantata, non differre re ipsa a præpositionibus illis *circa*, *ex*, &c. Atque hinc etiam factum est, ut relationes in Scholis non res (ut substantiæ, & accidentia, de quibus ante) sed diminutivo nomine Reculæ fuerint appellatæ.

Cum enim modos (quando hoc nomine

ne modus aut prædicatum exprimitur) etiam entia quodammodo seu subjecta esse intelligerent, simul cogitabant tantum esse partes in genere modi, non modos integros, non integra prædicata : itaque dixerunt esse entia dimidiata, manca & defectiva (quia nempe talia prædicata seu tales modi sunt) ideoque nec rerum nomine relationes dignati sunt, sed diminutivo nomine ut dixi, reculas & entitatulas vocavere. Quæ nominis deductio eis errorem notabilem peperit, ut crederent relationes illas esse entia imperfecta etiam in ratione entis : nec viderunt se in his manifestam contradictionem complicare : cum enim imperfectum in quoque genere non sit aliud quam quod non ipsum illud ad quod comparatur; sed ipsius pars est (ut imperfecta domus seu pavimentum cum una tantum atque altera contignatione non aliud est quam pars domus, & non domus ipsa) erit ergo imperfectum ens pars entis, & non ens, id est nihil & tamen pars entis : quod & ridiculum est & manifeste implicat : supra aliquid etiam eam in rem adhuc diximus ubi de substantia completa & incompleta.

Etiamsi autem Peripatetici inter Reculas solas relationes recenseant, tamen si sibi constare velint eodem jure in-cen-

sum illum admittendi sunt obliqui, ut pote qui etiam imperfecta tantum prædicata sint tam bene quam relata illa seu relationes (ut ipsi loqui malunt) dubium autem esse potest, an hæc duo censum illum impleant, & an præter relata ac obliquos quibus relata supplentur seu quos relata regunt (ut Grammatici loquuntur) nulli alii imperfecti modi, nulla alia imperfecta prædicata sint, & videntur adverbia etiam in istum censum admitti debere: V. G. *celeriter*, *sapienter*, &c. cum V. G. dicitur *Petrus est currens, & cursus ejus est velox*: ubi vides utrumque illum modum perfectum esse, & duas illas affirmationes brevitatis causa (quod & alias sæpe fit) in unam quoad pronunciationem contractas esse. Multo minus hi sunt modi imperfecti, quos Logici passim *modos* vocant, & a quibus propositiones suas modales deducunt, *necessario*, *possibiliter*, &c. hi enim sunt integra prædicata, atque tantum in eo differunt, ab aliis modis, aliis prædicatis, quod hæc quidem de simplicibus subjectis; illi vero de sententiis integris atque enarrationibus dicantur: ut, *Petrus necessario est homo*, id est Petrum esse hominem est necessarium; sed latior horum tractatio pertinet ad tertiam partem ubi de sententia.

Dubium etiam esse potest de conjunctioni

ctionibus illis &, *atque, vel*, quando scilicet partes subjectorum seu prædicamentorum sunt, ut hic : *duo & tria sunt quinque* (ibi enim *et* non integras copulat sententias, sed tantum partes subjecti, cum minime sensus sit, *duo sunt quinque & tria sunt quinque*) sed possunt ista ad classem præpositionum referri : ita ut revera supereſſe non videantur nisi duo modi imperfecti, nempe relatum & obliquus qui ab eo regitur.

§. 3.

De Relatis, & Correlatis.

RElatum non est aliud quam prædicatum imperfectum, quod obliqui alicujus supplemento perficitur : ut *Pater* antequam obliquum (qui hic genitivus est) addas vel subaudias : tamdiu enim pendet & imperfectum prædicatum est; ubi vero obliquus ille seu expresse seu tacite accesserit, perficitur, fitque plenum prædicatum, V. G. hoc modo *Pater Petri*, quod jam non amplius imperfectum prædicatum est, neque etiam relatum, sed absolutum; ast prior pars ejus, & imperfectum, nec absolutum prædicatum est sed relatum.

Ea relata atque pendentia, qua cæteros obliquos supplentur, nempe per dati-

vum & accusativum, &c. ut *dans*, suppletur enim hoc modo *dans Petro*, item *amans* suppletur per accusativum; *item amatus a*, suppletur enim per ablativum: huc refer præpositiones perfectas, varios obliquos regentes. Tandem relatum quod vocativo suppleatur nullum est: vocativus enim non est casus obliquus, ut male existimant Grammatici, sed est integra & perfecta sententia pertinens ad imperativum modum, quo imperemus, vel desideremus, aliquem nobis adesse, seu in loco, (& tunc proprie sumitur,) seu in oratione cogitationeque. Ex his patet relata quædam etiam esse pluribus relationibus relata seu ut aliter dicunt pluribus respectibus respectiva, vel respicientia, quæ nempe pluribus obliquis diversa ratione supplenda sunt: ut *dans* atque *accipiens* quorum illud dativo atque accusativo (hoc modo *dans librum Petro*) hoc vero accusativo & oblativo absolvitur, alia vero unico obliquo absolvuntur, ut *Pater*.

Insuper considerandæ sunt in relatis illis extrema: quorum quidem extremorum alterum subjectum relati vel relationis, alterum terminus dicitur: & terminus quidem relati non est aliud, quam subjectum illud in obliquo positum, quo relatum perficitur, & suppletur: subjectum vero non est aliud quam subjectivum

vum illud de quo relatum obliquo suo jam apposito completum & absolutum affirmari potest : sic V. G. extrema *Patris*, subjectum quidem V. G. *Philippus Macedo*, terminus autem *Alexander Magnus* : ut patet ex hac propositione, *Philippus Macedo & Pater Alexandri Magni*; quæ vero relata inferunt se mutuo inter eadem extrema sed inversa (sic scilicet ut subjectum unius sit terminus alterius & contra) ea non relata tantum sed & correlata dicuntur : V. G. *Pater & Filius* : inferunt enim se mutuo inter sua extrema inversa hoc modo : *Philippus Macedo, est Pater Alexandri Magni*, (ubi *Philippus* subjectum & *Alexander* terminus) *Ergo Alex. Mag. est Filius Philip. Mac.* (ubi invertuntur illa extrema). & sic sequitur etiam contra ex posteriori propositione prior : Ex quo etiam facile patet *amans & amatum* esse correlata ; item *accipiens* atque *dans*, item *accipiens*, & *acceptum*, *dansque datum*; hæc enim plura correlata habent, quia pluribus relationibus referuntur. Referuntur autem correlata inter se, cum alterum eorum loco subjecti, alterum loco termini reponitur : hoc modo *pater est filii pater*, & reciprocantur dum ex altera parte similis instituitur dispositio, V. G. *filius est filius Patris.*

Relata etiam quædam sunt æquiparan-

tiæ, quæ seipsa inferunt inter eadem extrema inversa, tale est *frater*: sic enim sequitur *Pollux est frater Helenæ*, Ergo *Helena est soror* (frater autem atque soror solo genere Grammatico differunt, sicut *albus* & *alba*, etiamsi in istis major, quam in his nominibus diversitas sit quoad sonum) *Pollucis*: relata vero disquiparantiæ sunt ista, quæ se ipsa non inferunt inter sua extrema inversa: sed inferunt duntaxat aliud aliquod relatum inter illa: tale est *Pater*: non sequitur enim *Phil. est pater Alex.* Ergo *Alex. est pater Phil.* sed *ergo est filius*: Ex his facile patet hæc similia *vicinus*, *distans*, *condiscipulus*, *popularis*, *cognatus* &c. esse relata æquiparantiæ: hæc vero *magister*, *amans*, &c. esse disparantiæ; etiamsi enim hæc eadem aliquando consistant inter eadem extrema inversa; nunquam tamen se mutuo per necessariam consequentiam ponant atque inferant, scilicet vi sua, & quantum de se, inter eadem extrema inversa: Etiamsi enim Petro amante Paulum, Paulus etiam subinde amat Petrum, non est tamen hæc necessaria sequela; illo quamvis Deo amante Petrum, Petrus necessario amet Deum, & contra; non est tamen hæc necessitas istius relati *amans*; sed vi extremorum (& præsertim unius extremi, nempe *Dei*) inter quæ consistit.

Hæc

Hæc omnia quæ nominibus illis relata dicta sunt, quadrant etiam in præpositiones, *supra*, *infra*, *ante*, *retro*, *intra*, *extra*, &c. unde quædam etiam inter illa æquipantia sunt: ut *cum*, *ad*, &c. sequitur enim A. est apud B. ergo B. est apud A. & contra: unde patet apud æquiparatum esse: non sequitur autem A. est supra B. ergo B. est supra A. sed ergo B. est infra A. unpe patet *supra* disquiparatum esse: In referendis autem comparandisque inter se correlatis recte monet Atistoteles in categoria relatorum, si nomina non suppetant, ut invito etiam usu, & consuetudine loquendi formemus ea: subinde enim nomina deficiunt hic, V. G. *vinum est in dolio* (ubi *in* relatum disquiparantiæ; sed si velis correlatum ejus inferre, laborabis penuria nominis, sit ergo B. correlatum ejus, & fiat jam sequela) erga Dolium B. in vino.

§. 3.

De Obliquis.

QUamquam persuasum habere soleant omnes, qui linguæ Latinæ vel Græcæ rudimentis se exercuerunt, se satis magnam obliquorum notitiam adeptos esse, qui varia paradigmata declinationum inflexionumque obliquorum a *rectis* memo-

mo-

moriter didicerunt: quamvis etiam persuasionem illam præcedenti §. toleravimus; ubi relata per obliquos tanquam satis notos definivimus; tamen hoc non est ita, & pauci sunt qui veram obliqui notionem satis distincte animo comprehendant, noverunt illum sicut lapidem & lignum usu & sensu; quid ipse in se sit non satis percipiunt.

Obliquus est supplementum termini imperfecti (non dico *relati*; sic enim circulus fieret in definitione) id est, obliquus est talis terminus imperfectus, qui posterius adveniens alio imperfecto supplet & consumat illud, sic ut ex utroque simul surgat terminus perfectus & absolutus: Relatum enim & obliquus pariter sunt imperfecti termini; ille posteriore sua parte defectivus est, pendet & postulat sibi aliquid adjici; hic vero priore sua parte manus est, & postulat aliquid sibi præponi, V. G. si dictum est *Petrus est apud* omnes intelligimus propter relatum illud *apud* pendere prædicatum & supplementum desiderare, quod postponatur; si vero dictum sit *Petrum* omnes intelligunt aliquid debere præcedere, V. G. *apud*, aut *amans*, &c. prioritas illa & posterioritas relati & obliqui pertinet ad modum cogitandi mentis humanæ, nec quicquam in reipsa, circa quam mens nostra cogitando

tando versatur, ut nimis quam clarum est bene consideranti.

Restat hic aliqua difficultas: videtur enim obliquus non tantum termino imperfecto, sed & perfecto suppleri (nos tamen totam ejus naturam penes supplementum illud quo imperfectum terminum suppleret desumebamus) & hoc præsertim obtinet in genitivo, seu possessivo, qui promiscue, ut apparet terminis perfectis subjungitur: ut hic, *Domus Petri*, *bos Pauli*, &c. sed re bene examinata hoc non est ita: nam possessione, quæ sic termino perfecto subjungitur, tacite inest vel præest præpositio aliqua, significans possessionem vel quid simile; nec enim bos qua bos Petri bos est (sic enim est res quædam absoluta, & non pendens) sed bos, qua possessio, seu quatenus eorum aliquid est, quæ possidemus Petri bos est: interjicitur ergo inter terminum absolutum & possessionem subsequentem præpositio possessiva: & hanc possessivus supplet, non illum ut cui supplemento nullo sit opus, & hoc quidem ut diximus in scholasticis idiomatibus (Græco inquam & Latino) tacite sic peragitur, in vernaculis autem idiomatibus omnibus expresse præpositio illa interponitur inter perfectum terminum & possessivum subsequentem, similiter etiam ablativus absolute

lute positus difficultatem aliquam habet, sed is non est imperfectus terminus, sed imperfecta sententia, unde nec imperfecto termino, sed alia imperfecta sententia suppletur V. G. *studente Petro*, sic suppletur, *ludit Paulus*: Item *consequente falso*, *falsum est antecedens*. Ex quibus duobus exemplis apparet, ablativum absolute positum, dupliciter exponi posse, scilicet temporaliter & conditionaliter, nam sensus prioris sententiæ hic est, *quando studet Petrus*, *tunc ludit Paulus*: non vero, *si studet Petrus*, *ludit Paulus* (nulla enim hic est consequentia) posterior vero sententia sic exponitur: *si consequens sit falsum ergo & antecedens*: non vero sic: *quando consequens est falsum* (nisi tamen illud *quando* improprie sumatur, ut idem sit, quod *si*, qualiter etiam non raro sumitur:) nulla enim in hac sententia habetur ratio temporis, quum sit sententia æternæ veritatis.

Quatuor ergo obliquos latini fecere (vocativus enim, ut videmus, excidit) quorum duo posteriores ad actionem passionemque pertinent: nam accusativus importat terminum actionis, seu id in quod actio desinit quodque actione ipsa constituitur: Ablativus significat initium passionis, seu id à quo passio incipit: duo autem reliqui, ad possessionem ac proposi-

tum

situm referuntur : nam dativus significat finem ptopositi seu intentionis nostræ: V. G. *tibi seritur, tibi metitur :* Genitivus ad possessionem refertur ut ante vidimus: hæc vero per tropos & analogias varie sæpe mutantur,& aliis quibusdam accommodantur, quæ longum esset hic dicere; cætera vero per præpositiones varias indicare solent & in linguis vernaculis omnia per præpositiones importantur : excepto fere accusativo, quem ordine subindicant, nominativum verbo præponentes, Accusativum postponentes : quæ ratio etiam melior atque expeditior est : ideoque ab omnibus hodie nationibus fere recepta in vernaculis linguis.

§ 5.

De Gradu Positivo Comparativo & Superlativo.

INter hos gradus solus fere Comparativus (ut & nomen ipsum sonat) ad relata pertinet, inter positivos autem quidam significant rem velut certitudinem aliquam : quidam vero his oppositi significant deflectionem ab illa rectitudine: *prioris generis sunt, hic rectus* (significat enim rem & breviſſimam inter extrema puncta extensionem) item *bonus* (nam hoc est, quod ad regulam rationis *exigitur*) *verum* (nam hoc est, quod, *ut esse* dici-

dicitur, ita etiam est) *altum* seu *lucidum*; &c. posterioris generis sunt his oppositi: scilicet. *Curvum* (significat enim deflectionem a recto) *malum* (significat enim deflectionem a regula rationis) *falsum* (significat enim deflectionem dictionis a re) *Decolor* (significat enim deflectionem a specie illa, quæ adspectu percipitur, quamque albedinem aut lucem vocamus) &c. inter illos ergo positivos, qui prioris sunt generis, *rectum & rectissimum*, *bonum* ac *optimum*, *verum* ac *verissimum*, *album* ac *albissimum*, idem sunt: nam superlativus in illis non importat aliud, quam puritatem, amotionemque omnis alieni atque peregrini, seu omnis deflectionis ab eo recto, quod positivus innuit, si quid enim pure rectum sit, sine admixtione alicujus curvi, id hoc ipso rectissimum esse intelligetur: & si quid sit pure bonum, sine nempe admixtione alicujus mali, id hoc ipso optimum esse intelligitur: & ita de *vero*, *albo atque calido*, &c. *jam vero* ut pure sint talia non plus importat quam quod sint talia, cum puritas sit proprietas Entis, & unumquodque sit pure hoc quod est, nam rectum pure rectum est (alias enim ne quidem rectum erit sed pure curvum) & bonum pure bonum (alias ne bonum quidem sed malum erit) & sic album pure album (alias non album absolu-

ſolute ſed decolor erit) & calidum pure calidum (alias non caiidum ſed decalidum erit) & ita de reliquis : quotiescunque enim non erunt pure talia (id eſt non talia erunt in ſuperlativo gradu) etiam non abſolute erunt talia, ſed talia cum præpoſita ſyllaba *de*, deflectionem denotante, quæ ſyllaba bona an mala pace latinitatis ſemper præponatur, nihil nobis morandum puto.

Unde eximi hic debet præjudicium vulgi, quo exiſtimant ad ſuperlativum iri adjectione multorum, quæ ad poſitivum pertinent : quaſi, dico, rectiſſimum fiat, cui quam plurimæ rectitudines inditæ ſint: & albiſſimum cui quamplurimæ albedines, & calidiſſimum, cui quamplurimi calores intruſi & temere infarti ſint, etiam penetrative in eodem ſpatio (ut magis adhuc quam vulgus ineptiunt hic Scholæ) cujus præjudicii hæc eſt ratio, quod videant parietes ſuos calce jam ſæpe & ſæpius illitos albiores reddi & quaſi ad albiſſimum propius accedere, ſed animadvertant, cum parietem ſemel calce illitum, iterum illinant, nihil aliud ſe præſtare, quam decolora quædam, quæ ex prima illitione relicta fuerant, interque alba inſerta, jam iterata illitione calcis obducere, atque adeo nihil aliud quoad ſuperlativum tendant, efficere, quam

pere-

peregrina, quæ ad albedinem non pertinent amovere vel obtegere : & ſimile quid eſt de calore, deque aliis ſimilibus : in his omnibus non tenditur ad ſuperlativum adjectione ſed detractione : cum enim ſuperlativus, nil niſi puritatem dicat, ad puritatem non adjectione venitur, ſed detractione : detractione inquam eorum quæ peregrina ſunt atque heterogenea.

Deflectentium autem *poſitivi* atque ſuperlativi non æquivalent : nam *curvum* & *curviſſimum* non ſunt idem, dantur enim inter curva, alia aliis curviora, quæ tamen omnia ſimpliciter curva ſunt, ſic uncus curvus eſt, & circulus etiam curvus eſt : ſed hic ſine dubio curvior illo eſt, magisque deflectit a recto, cum in unco recti aliquid adhuc ſit, in circulo nihil, aut ſaltem multo minus (cum enim curvum ſine recto abſolute dari poſſit, ſeu aliquid tam curvum, ut nihil in eo ſit recti, diſputant aliqui, & licet quæſtionem illam forte ſolvere difficile non eſſet, tamen, quia non eſt hujus loci, in medio relinquenda eſt) ſic neque idem ſunt *malum* & *peſſimum*, *falſum* & *falſiſſimum* ob ſimilem rationem. In deflectionibus tamen, etiam itur ad ſuperlativum per depurationem quodammodo ejus, quod peregrinum eſt & a quo deflectio illa fit, ut in

cur-

curvo gradatim ad ſuperlativum ibitur, ſi plus atque plus recti ab eo ablatum fuerit: iter itaque in deflectentibus ad ſuperlativum adferendo ex poſitivo deflectente ea omnia, quæ pertinent ad poſitivum rectum ei correſpondentem: nam ſimul atque hæc omnia ablata fuerint exſurget ſuperlativus deflectens: & quia ſubinde hæc omnia aufferri non poſſunt, contingit ſubinde non ſuppetere ſuperlativum deflectentem *niſi* nomine tenus: ſic falſa quædam ſunt, & *alia aliis falſiora ſunt*: ſed falſiſſimum eſſe non poſſe, eo quod in quoque falſo neceſſario contineatur aliquid veri, demonſtravi in ſolertia mea: ſic nec peſſimum forte datur neque curviſſimum, neque decoloratiſſimum &c. & dico forte, non quia non ſciri facile poſſit, ſed quia *hic* inquiri non debeat quam interim depurando tenditur ad ſuperlativum deflectentem, videndum eſt, ut maneatur in eodem genere, ſeu ut maneatur in poſſitivo deflectente: non enim ablatis omnibus quæ ad rectitudinem pertinent, ad curviſſimum accedetur, niſi in curvo permaneatur: nam *V. G.* in mente omnia ablata ſunt, quæ ad rectitudinem pertinent, cum rectitudo ſit corporearum rerum affectio, non ideo tamen mens eſt curviſſima, quia non eſt curva.

Hinc jam facile intelligetur axioma illud

illud Philosophorum circa denominationes & modum loquendi summe necessarium : *Bonum* (nos *rectum* dicimus) ex integra causa, *malum* vero (nos *curvum* dicebamus) ex singulis defectibus (nos *ex singulis deflectionibus*) ubi perhibetur puritatem quidem requiri ut fiat denominatio positivi recti (ideoque positivum rectum æquivalere superlativo correspondenti) non requiri autem puritatem, ut fiat denominatio positivi deflectentis, sed ad denominationem illam sufficere vel minimam deflectionem a positivo recto; esto quod multa forte & quam plurima simul, quæ ad rectum pertinent, cum illa deflectione complicentur : sic vel minima recessio a recto importat denominationem curvi, etiamsi interim in eo quam plurimum sit recti, & quam minima deflectio a *plano* seu quam minima extuberantia in superficie, vel subsidentia, importat denominationem *plani* : & sic de reliquis. Rectus ergo positivus nihil admittit ex deflectente, & tantum se extendit ad pura : deflectens vero & admittit, & admittere aliquando debet aliquid ex positivo recto, ideoque etiam id dicitur, quod ex recto & curvo mixtum est; sed rectum nihil nisi penitus rectum sit.

Huic Philosophico & plane sano Axiomati populus opponit suum (quod etiam cogno-

cognoscendum est, ut quî cum illo agendum sit intelligamus) a potiori parte sumitur denominatio, unde rectum illis est, quod potissima parte rectum est, etiamsi forte apud Philosophos absolute sit curvum:) sic & verum & bonum, & album ac reliqua denominant, pleraque enim quæ eis alba dicuntur, sine dubio non alba sed decolora sunt: populi enim hoc est proprium, *quod fere est, dicunt esse, quod vix est, dicunt non esse*: ut in Ethica nostra notavimus: inde populus contemtor justitiæ, cujus solus Philosophus observator est. Quantum attinet ad Comparativum, ille solum proprie loquendo locum habet in deflectentibus: inter deflectentia enim *magis* ac *minus* est, prout scilicet magis minusve a recto deflectant, seu ut plura pauciorave ipsius recti in se continent, in rectis vero, ut pote quæ pura unaque sunt nec *magis*, nec *minus* datur. Quod adeo perspicuum est bene consideranti, ut etiam vulgus nostrum belgicum, cum forte de comparatione bonorum sermo incidit, hoc sæpe habeant in ore: *'t kan maar goed zyn*, cum bonum jam omnem numerum implevit, nec est quod ad ulteriora gradus detur; quibus quidem alii qui se sapere plus putant, quasi sententiam eorum confutent opponunt, *maer beter is beter* seu *melius est melius*, sed

hi manifeſte errant, & penitus pertinent ad vulgus, cum alii illi ſe excercuerint iſto caſu & philoſophari inceperint, melius enim non eſt bonum ſed eſt malum, minus tamen a bono deflectens, quam alterum, ad quod comparatur, ſicut *furtum eſt melius homicidio.*

Ex quo facile patet, Comparativos illos, qui in rectis nomine tenus aſſignantur, aut ſecundum vulgi inſtitutum capiendos eſſe, qui denominationem ſumunt ex potiſſima parte (bonum id vocantes quod maxima parte bonum eſt, etiamſi forte mali quid inſit) aut revera ad deflectionem revocandos, licet nomine tenus pertineant ad rectitudinem: & hoc Philoſophis magis placet, utrumvis vero feceris, ſeu a vulgo, ſeu à philoſophis ſteteris comparativum facies (etiam qui nominetenus ad rectum pertinet, ad deflectentem revocabis) unde non immerito dictum eſt, *omnis comparatio eſt odioſa*, non tantum enim eum notat, quem comparando deprimimus, (quod vulgus etiam ſatis intelligit atque hæc ei iſtius decreti condendi potiſſima ratio) ſed etiam quem eſſe dicimus: utrumqne enim ad deflectionem manifeſte revocamus, quando ἀκριβῶς & philoſophice loquendum eſt: unde ineptiſſimæ ſunt iſtæ phraſes, niſi caute adhibeantur, & explicentur, *Deus homine me-*

melior sapientior, &c. significatur enim neutrum sapere, neutrum esse bonum, sed illum minus a sapientia & bonitate deflectere, simpliciter ergo ille solus dicendus est bonus, & sapiens (quod etiam sacra Scriptura docet) & abstinendum caute ab omni comparatione est, qua illum superiorem facias: rectius igitur & minus rectum non sunt recta, atque minus dictum est, cum rectius dictum est, quam cum dictum est, rectum est, similiter melius atque pejus non sunt bona, & minus dictum est cum *melius* quam cum bonum dictum est; atque ita de reliquis: meliora enim rectioraque dicuntur ea, quæ mala curvaque sunt, adeoque nec bona nec recta: quod nec abludit a communi modo loquendi (vulgus enim per intervalla philosophum est) quique dicuntur melius se habere, adhuc male se habere, & cum infirmitate conflictari, facile intelliguntur: & serenior dies non tam multum dicit, quam serenus dies, nec ditior tam multum, quam absolute dives.

§. 6.

De Iisdem & Diversis.

QUæ eadem inter se dicuntur, debent aliquo modo esse diversa, nam unum qua tale nihil respicit, nec ad quicquam re-

refertur, ne ad seipsum quidem, donec illud *se* quasi replicatum sit in intellectu & quasi bis in illo positum. Primum igitur synonyma sunt eadem, quia nempe diversis nominibus, res una dicitur, adeoque quod in se unum est, diversis nominibus, quibus res una dicitur, quibusque exprimitur quodammodo diversum redditum, potest jam dici unum, quod uno & quod altero istorum nominum exprimitur : secundo una res eodem etiam expressa nomine bis occurrens (ut quisque terminus in syllogismo) eadem jam etiam dici potest & sic quoquo te vertas, nunquam rationem ejus reperias sine aliqua diversitate, ex quo patet *unum* in rebus esse prius, quam idem : nam res quæque una est ante suam quoque modo institutam diversificationem.

Unde dicitur in scholis, quod, quæ eadem sunt ad minimum ratione ratiocinante diversa sint : ad minimum enim bis debent cogitari, antequam eadem dici possunt : quæ vero consideratione inter se differunt, alterumque sine altero in æstimationem considerationemque aliquam nostram cadere potest, hæc iis diversa ratione ratiocinata dicuntur, ut *acclive & declive*, item *linea & corpus* : hæc enim diversitatem quasi aliquam ex re ipsa habent, unde ratio quidem ea diversa se-

fecit, quando quidem re ipsa non differant, sed ratio ratiocinata, & quæ ante quam ipsa adveniat, fundamentum aliquod supponit in re ipsa, unde diversitatem illam trahat : Hinc etiam quæ ratione ratiocinata distinguuntur, sæpe dicuntur virtualiter diversa, quia nempe diversos usus præstant, ut proinde plurium rerum vice etiam si plures res non sint, habere ea possis : ut longum in ulna facit ad metiendum, latum atque crassum eo non facit, &c. vide quæ de his supra diximus, & alibi. Simile quid non habet locum in iis quæ ratione ratiocinante distincta sunt : hæc enim ante accessum rationis nullum suppeditant fundamentum distinguendi, sed sola ratio seu cogitatio iis quasi extrinsecus affigit suam diversitatem.

Inter diversa seu distincta quædam condistincta sunt, quæ nihil involvunt idem, quædam communicantia quæ diversa quidem sunt, sed tamen aliquid involunt idem: adeoque hæc subdividuntur in ea quæ se habent per modum partis & totius, & in ea quæ se habent ut duo tota eandem partem includentia. In schemate fient hæc omnia satis clara, nam, & A. & A. sunt eadem. A. &. B. sunt condistincta : A. ab una parte & A. B. ab altera parte sunt communicantia prioris generis : Denique A. B. ab una parte & B. C. ab altera

parte ſunt communicantia poſterioris generis. Ex quibus etiam patet quælibet omnino pertinere ad aliquam ex his quatuor combinationibus (cui etiam fundamento logicam noſtram inædificavimus, ut videre potes ubi in illa de Concordia & Diſcordia terminorum egimus) Patet ſecundo tres iſtarum combinationum pertinere ad operationem mentis, unam tantum eſſe quæ pertinere ad rem ipſam videatur : nam eadem ſeu in ſchemate A. & A. conſtituuntur per repetitionem : repetitio autem pertinet ad mentem, & minime in rebus ipſis reperitur : ſimiliter communicantia prioris generis ſeu in ſchemate A. & A. B. duas mentis noſtræ operationes dicunt ſcil. repetitionem ipſius A. & ſimul ſumptionem ſeu totationem ipſius A. atque B. denique communicantia poſterioris generis ſeu in ſchemate A. B. & B. C. unam repetitionem & duas ſimul ſumptiones dicunt (ex quo patet gradatim a nobis hæc eſſe diſpoſita ſecundum quod plus minusve mentis operationum ad illa pertinet : nam ad eadem una, ad communicantia prioris generis duæ, ad communicantia poſterioris generis tres concurrunt mentis operationes) ſed condiſtincta ſeu in ſchemate A. & B. nullam dicunt mentis noſtræ operationem, ſed qua talia in rerum natura re-

pe-

periri videntur, ita ut condistincta non faciamus nos ipsi, eodem modo atque communicantia, nostra sunt & mentis nostræ opera parantur.

Inter ea quæ ratione ratiocinata distinguuntur, & non re ipsa, etiam quædam condistincta, quædam vero sunt communicantia: sic acclive & declive condistincta sunt secundum rationem, cum neutrum alterius considerationem ingrediatur, nec aliquod idem in considerationem suam necessario admittatur: universale vero & singulare ad quod id abstractum est, item linea & superficies distincta quidem sunt secundum rationem sed non condistincta: nam universale in singularis sui considerationem, & longitudo in latitudinis considerationem necessario incurrere videtur, quamvis non contra: unde & hæc sunt communicantia secundum rationem quæ pertinent ad primum genus.

§. 7.

De Repugnantibus & Compatibilibus.

REpugnantia seu incompatibilia sunt prædicata, quæ in idem subjectum non quadrant, ut *album* & *nigrum*: non dicuntur enim de eodem: licet enim idem forte album est, & erit nigrum: nec

tunc quidem tamen de eodem dicuntur *album & nigrum;* sed ad summum *album & futurum* nigrum, item *album & fucus nigrum* : quod ultimum hic & invita latinitate dicatur, non tamen invita minerva, & belgica nostra lingua suffragatur *swaert geweest*, id est fucus nigrum, quod totum occupat locum prædicati : similiter etiamsi pica partim alba partem nigra sit, inde tantum sequitur partim album partimque nigrum repugnantia non esse; *album* vero atque *nigrum* non ideo desinunt esse repugnantia. Pater vero atque filius sintne repugnantia nec ne? non ex ipsis dijudicandum est, cum imperfecta sint ut §. tertio demonstravimus. Sed tum demum dijudicare poterimus, cum adjunctis obliquis perfecerimus & obsolverimus illa relata : itaque *pater hujus & filius ejusdem* repugnantia sunt, sed filius alicujus, cujuscunque tandem, & pater alicujus, cujuscunque tandem, non sunt repugnantia : conspirant enim ista prædicata in omnibus, quotquot hodie sunt patribus, omnes enim illi & aliorum filii sunt, proinde supervacaneum est quod Aristoteles hic apponit *repugnantia*, inquit, *sunt, quæ de eodem non dicuntur, non dicuntur inquam de eodem secundum idem ad idem similiter, & in eodem tempore & quæcunque similia propter sophistarum determinamus*

nus importunitates: nil enim opus est istis additamentis, ut ex jam proxime dictis satis patet, quod autem & sophistarum importunitatibus caute subjungit, scire debuerat, illos non tam conniventia & additamentis quam ἀκρίβειᾳ & stricta notione declinandos aut potius jugulandos esse.

Compatibila vero sunt prædicata in idem subjectum conspirantia, ut *album* & dulce, quæ conspirant in *lacte*: hæc si ita conspirent in idem, ut neutrum diversum obtingat subjectum, convertibilia & reciproca dicuntur, sin ita conspirent, ut utrique diversum etiam obtingat subjectum, excedentia & excessa vocantur, nos disparata vocavimus in Logica nostra; denique si ita conspirent in idem ut uni saltem eorum diversum subjectum obtingat, non alteri, magis & minus communia vocantur (illud quidem cui diversum obtingit subjectum, magis, cui non obtigit, minus vocatur) nos in Logica nostra vocavimus subalterna, quorum quod subalternans est, idem atque magis commune, quod subalternatum, minus. Vide hæc in Logica nostra ubi de concord. & discord. term. Ex his patet compatibilia incompatibiliaque prædicata oriri ex diversitate & identitate subjectorum proindeque hunc Paragraphum rite subjectum esse præcedenti.

Por-

Porro repugnantia in oppoſita & lateraria (diſparata hæc multis in ſcholis vocantur, ſed noſtrum nomen, quod his dedimus, elegantius eſt, & rem melius exprimit) dividuntur. Oppoſita ſunt, quæ ſumme repugnant; lateraria, quæ repugnant quidem, ſed non ſumme: ſic V. G. repugnant; *album* & *flavum*; ſed non ſumme repugnant (*album* enim æque pugnat cum *viridi*) *album* vero atque *decolor* (eſto quod ſub *decolori* etiam *flavum* contineatur) repugnant ſumme: ſimiliter ſumme repugnant *album* atque *nigrum*, quorum illud rectum, hoc vero inter deflectentia ſupremum eſt: ſimiliter ergo ſumme repugnabunt *rectum* atque *curvum*, item *rectum* atque *circulus*, nam ſimili modo ſe habent: *verum* autem & *falſum* repugnant ſumme: *verum* autem & *falſiſſimum*, quia hoc nullum eſt, oppoſita non ſunt, niſi forte hoc ſenſu, *falſiſſimum* ſi detur. Ex quibus ſatis liquet, quænam generatim pro oppoſitis habenda ſint nempe rectus & deflectens, itemque ſuperlativus deflectentis, & rectus; laterales vero ſunt rectus ipſe & quodvis eorum quæ ſub deflectente continentur, excepto ſuperlativo deflectentis: quin imo ipſa etiam deflectentia inter ſe collateralia ſunt. V. G. *rectum* & *uncus* ſunt collateralia, itemque *uncus* & *circulus*: ſic & *album* atque flavum: item-

tem-

temque *flavum* atque *viride* aut nigrum sunt collateralia.

Oppositorum quatuor recensentur in scholis species, nempe contraria, relative opposita, privantia, & contradictoria: sed vehementar in duabus posterioribus speciebus errant: hæ enim non spectant ad terminos, ad prædicata & modos (ut ipsi persuasum habent) sed ad sententias: sententiæ enim aut privative aut contradictorie opponuntur sibi, non vero termini, quod facile intelliges, si animadverteris in altera contradictoriorum & privantium involvi adverbium negandi *non* (nam alterum inter contradictoria atque privantia negativum est) hoc autem adverbium etiamsi Aristoteles (qui in eundem secum errorem huc usque, quantum rescire ego possum, omnes logicos traxit) putaverit posse cadere in nomina, in substantia vel adjectiva, ut cum dicitur *non dives*, *non homo*, &c. (quo casu & ipse, & qui eum sequuntur logici negationem infinitam, vocem infinitam, præpositionem, in qua hæc reperiuntur, infinitam dicunt) tamen hic est ita: & adverbium illud solas tangit sententias, & tam impossibile est ut in nomen aliquod cadat, quam ut lapis in cœlum cadat: prout id etiam eadem contentione in Logica nostra, ubi de negatione & negatio-

tionum reductionibus agitur, inculcavimus, neque est hæc res nullius momenti, atque trahit secum syrma quam plurimorum in Peripat. errorum, præsertim ad Physicam pertinentium, ad quos longum esset hic abire, hoc igitur nota adverbium *non* & adjectivum *falsum*, conjugata esse, ut logici loquuntur, nec differre aliter, quam *fortis* & *fortiter*: hic ergo *Herculem fecisse fortiter* non est aliud, quam *Herculis actionem fortem esse*: hic *Irum non esse divitem*, non est aliud, quam eam esse falsam sententiam, qua Irus dives esse pronuntiatur. Cum igitur *non* & *falsum* hoc pacto prorsus eadem sint, *falsum* autem non nisi de sententiis dicatur (omnibus id ultro scholis ipsa sua enunciationis definitione fatentibus, definiunt enim hanc *orationem veram vel falsam*) adverbium *non*, non nisi in sententiis etiam quadrare poterit, *falsum* enim est affectio sententiarum, non verum, quod decepit eos, nullius est momenti, nempe transpositio negationis, seu adverbii negandi & in locum indebitum rejectio: dicimus enim *Irus non est dives*, ibi, si sensum consulas, & verbis non adhæreas, videbis negationem cadere in sententiam, hoc modo: *Irus non est dives*, seu falsum est eum esse divitem: item quidam non adeo divites, minime tamen sordidi

sunt,

sunt, videbis negationem cadere in copulam verbalem, quæ pertinet necessario ad sententiam, sensus enim est: *aliqui qui non sunt divites, minime tamen*, &c. ubi videbis adverbium *non* cadere in copulam *sunt*. Item: *Adam potuit non peccare*, id est, *Adam possibiliter non fuit peccans*: ubi rursum adverbium illud copulam tantum afficit, & in copula sententiam: plura de his vide in Log. nost. citt. Cum igitur contradictio in terminis non versatur (nam *dives* & non *dives*, illud quidem terminus est, hoc vero non est terminus, sed cum modo negandi) non licet etiam inter opposita recensere contradictoria: eadem est ratio de privantibus: nam *doctus* & *indoctus* itemque *dives* & *pauper* sic se habent, ut alterum eorum quidem positivum sit, alterum vero negativum: hujus vero negatio non ad terminum pertinet, sed ad sententiam. Hæc interim est diversitas inter negativum privans & negativum contradicens, quod illud vi sua positivum aliquod inferat (nempe capacitatem subjecti) hoc non item; hinc Irus quidem pauper est, cum multas possideat divitias, asser autem vel scamnum, quod nullas possideat divitias, non recte pauper dicitur, quia *in hoc nulla est capacitas istius possessionis, quæ est in illo: similiter* homines quidam indocti sunt & quidam im-

pii. Mensæ vero & cathedræ, etiamsi doctrina & pietas pariter ab illis absint; non tamen impiæ, indoctæve dicuntur.

Ex quo patet, cum negativum privans dictum est (etiamsi simplex tantum dictio sonuisse videatur) duas dictas esse sententias, quarum altera abesse, altera capacitatem subjecti ad habendum id quod abest, pronuniat: nam *cæcum esse* est & *non videre* (nec hoc satis, nam sic & lapides cæci sunt) & *videndi naturaliter capacem esse*.

§. 8.

De Essentia & Accidente.

ESsentia est prædicatum necessarium & primum: *primum* est cujus non datur ratio per aliud pertinens ad idem subjectum; *necessarium* vero est, quod affirmari quidem de subjecto suo potest, negari minime. Non sufficit igitur ad essentiam ut attributum primum fuerit: nam huc omnia contingentia pertinent, quorum nec ratio, nec demonstratio, nec scientia ulla est (ut hoc pro parte jam ante nos etiam dixerunt scholæ) sed solum Dei arbitrium his causa est: veluti quod mundus sit, sol, terra, cæteræque ejus partes, nosque homines, nulla horum ratio, nulla demonstratio, nulla scientia, totum hoc est, quia Deo sic placuit: & etiamsi cur hoc lignum facile per planum, cui liquidum

dum insistit, moveatur, ratio aliqua reddi posse videatur, nempe quia rotundum aut quia figuram globosam habet, tamen re bene examinata, hæc non est ratio, cur lignum illud facile moveatur (quid enim necessum est, ipsum facile moveri) sed cur lignum sit figuratum, seu globus ligneus facile moveatur: hoc vero jam non est contingens, sed necessarium.

Non sufficit etiam ad essentiam ut attributum sit necessarium, nam hoc secundum potest esse, & sic non erit essentia: secundum autem attributum est, cujus ratio, cujus demonstratio, & disciplina est, ut *divisibile* & mobile, & impenetrabile, &c. respectu corporis, datur enim ratio talium attributorum, demonstranturque de corpore per aliud attributum prius nempe *magnitudinem*.

Et quidem de attributo contingenti, nullum est periculum, ne id pro essentia habeatur: omnes enim intelligunt, quæ contingentia sunt, quæque separari a re aliqua possunt, minime ad naturam & essentiam istius rei pertinere, sic quivis facile intelligit, quod cylindrus stet in angulo, non pertinere ad ejus naturam, quod vero facile volvatur per planum, hoc quidem etiam satis intelligunt, non pertinere ad naturam ligni, quod materiam suppeditat cylindro; sed non perin-

de omnes intelligunt, hoc etiam pertinere ad ejus essentiam, sed esse duntaxat aliquam ejus proprietatem.

Fitque sæpenumero atque in eo error non levis, & multorum aliorum errorum parens versatur, ut attributum secundum in rebus habeatur pro primo. Nota igitur potentias, negationes, relationes, & respectus similiaque attributa quæ necessario supponunt aliquid se prius (prius enim est *esse* quam *posse*, & prius est esse quodque quod est, quam aliud quiddam non esse, &c.) non esse de essentia rerum loquendo, quibus attribuntur: sic populos errat (ut in Σωματολογίᾳ veræ Metaphysicæ ostendimus) dum palpabilitatem habet pro essentia corporis, indeque in graviſſimos alios errores, atque adeo in ipsiſſimam impietatem delabuntur: ut ibidem ostendimus: sic & scholæ errant, dum spiritum seu mentem definiunt substantiam incorpoream aut immaterialem: cum enim definientes essentiam adferre debeant & attributum primum, hic tantum adfertur attributum secundum; prius enim est spiritum hoc esse quod est, quam corporeum aut materialem non esse, hoc igitur primo dicendum erat, nam ex eo solo constare debebat, corporeusne esset an incorporeus, cum, quamdiu prius illud non constat,

tam,

tamdiu posteriusillud tantum fingatur seu gratis assumatur, sic etiam prius dicendum erat quid esset corpus, quam quod posset (*palpabile* vero enim non est aliud quam quoddam *posse*) ex hoc enim solo constare poterat, possetne hoc an non posset, cum quamdiu nescitur quid sit, tamdiu frustra & pro libidine tantum de illo dicatur quod hoc vel illud possit.

Essentia in scholis vocatur *quidditas*, nomine quidem barbaro in latinitate, sed admodum eleganti in significatione: admonemur enim ista quæstione *Quid est* ipsius essentiæ; facileque intra gyrum essentiæ cogitationes nostras agere possumus & continere admonitione istius quæstionis, ut si quæsitum fuerit, *quid sit corpus*, responderitque e vulgo aliquis, est res palpabilis, argui facile poterit, & ad essentiam inquirendam urgeri hoc modo: quærebam ego quid esset, respondisti mihi quid posset (nam palpabile est quod palpari potest) dic igitur primum, quid sit, tunc videbimus possitne hoc quod dices annon possit: similiter si quæsitum, *quid est spiritus seu mens* responderitque è schola aliquis, *est res seu substantia independens a materia*: sic ad sanitatem reducemus. Quærebam ego quid esset spiritus; respondes mihi quid non sit, dic hoc primum, &c. item si quæsitum fuerit *quid*

est affirmatio, & responderit dialecticus aliquis, est *propositio quæ partes conjungit*: verene an per Analogiam & per similitudinem aliquam conjungit, interrogabimus: per similitudinem utique subjiciemus: quærebam ego quid esset, respondisti mihi, cui similis sit: hoc igitur age, dic quod sit, & deinceps videbimus similisne sit an dissimilis ei cui dicis & sic semper urgendum & nobis ipsis, & aliis, quod ad veram scientiam educere volumus, quæ semper a primo attributo reperenda est, frustra enim aliorum quid scire desiderat, qui necdum quid sit perceperit. Vide me de his uberius in Log. part. ultima.

Apud Platonicos & veros Philosophos essentia passim vocatur idea, & qui quidem hoc nomine usi sunt, arctius se ipsos ad contemplationem veræ essentiæ restrinxerint, quam qui e nomine illo scholastico egregiam licet admonitionem continente, usi fuerunt; sic idea corporis consistit in extensione, idea mentis (spiritus dicunt scholæ) consistit in cogitatione, idea globi consistit in certa figura, &c. porro ex ideis illis proprietates & demonstrationes deducunt V. G. quod corpus infinite extensum, infinite secundum partes suas divisibile sit, &c. quod mens ideas habeat, quod affirmare & negare possit,

&

& tandem etiam quod sit incorporea, quod globi spatium non impleant, quod facile per planum moveantur, &c.

Accidens est prædicatum aut contingens aut secundum; unde duplex, & quod contingens est proprie accidens dicitur, rejectum extra ordinem rationis & naturæ totum consistit in arbitrio divino; quod vero secundum est, non tam accidens quam proprietas dicitur, quæ pariter cum essentia consistit intra limites rationis: nam ratiocinantes tum ab essentia dilabimur ad proprietates (quæ pars rationis demonstratio vocatur:) velut dum ex extensione corporis divisibilitatem, mobilitatemque & similia alia colligimus, tum a proprietatibus ascendimus ad essentiam (quæ pars rationis proprie ratio vocatur) sic cur corpus mobile, cur divisibile sit, interrogati; respondemus quia extensum est: & sic cum respondimus, dicimur rationem reddidisse ejus quod quærebatur; non vero contra: nam interrogati, cur corpus sit extensum, non censebimur bonam rationem reddidisse, si, quia mobile aut quia divisibile, responderimus: est enim hæc tantum ratio a posteriori, ut vocant; hæc vero non proprie ratio est, sed tantum cum addito: Interrogati ergo cur corpus sit extensum, cur mens cogitet, cur globus sit rotundus, &c. recte

respondemus nullam horum esse rationem.

Ex quo etiam intelligitur illud scholasticum, nec malum : *essentiæ non datur ratio* : quod ipsi per experientiam fere colligerunt : videmus enim, quamdiu proprietas aliqua oblata est, tamdiu supperere nobis, aut saltem posse supperere responsionem ad quæsitionem *cur est* : sed simul atque ad essentiam illam perventum est, tunc sentire nos nihil restare amplius, quod ad istam quæstionem respondeamus, inde etiam nota rationis est *cur est* : sicut nota essentiæ est *quid est* : nec minus præclare per notam *cur est* rationem deprehendimus, dicimusque eam ab omnibus aliis, quæ cæteroqui affinitatem aliquam cum illa habent se cludere, quam per notam *quid est* essentiam deprehendamus : quæ videsis in Logica nostra ea ubi docemus rationem penes istam suam notam *cur*, expendere, & omnia quæ affinitatem cum illa habent removere.

Nota etiam, in scala rationis non tantum a proprietatibus ascendi ad essentiam penes *cur*, sed etiam sæpe ab una proprietate ascendi ad aliam : V. G. cur vacuum impossibile (quæ una est proprietas corporis) Respondeo, quia corpus quaquaversus infinite extensum est, (quæ est altera proprietas corporis necdum essentia, quia illa

illa nude consistit in eo extensum esse) similiter cur corpus palpabile quia impenetrabile : & cur impenetrabile, quia non potest modo majus, modo minus esse, & sic sæpe per plures proprietatum Gradus ascenditur, antequam perveniatur ad essentiam, quod inter ratiocinandum pulchrum & ornatum mens humana ducit, dicunturque quæ sic apprehensa sunt, bene inter se devincta ac catenata esse, cui catenationi magnam semper impenderunt operam Mathematici.

Sicut accidens proprie dictum seu contingens non est neque primum neque secundum subjecti sui attributum : sic etiam totum repositum est extra scalam rationis : nec demonstrando ad illud ex essentia subjecti descenditur, nec ab ipso ad essentiam ascenditur ratiocinando, sic etiamsi corpus sit extensum (quod est essentia) nunquam inde concludes, ergo dividitur vel movetur, vel tali aut tali modo figuratum est in suis partibus (quæ sunt accidentia corporis) sed ad summum divisibile, mobile, & diversimode in partibus suis figurabile esse (quæ sunt proprietates) sic etiam ratiocinando ab accidente nunquam ascendes ad essentiam : nec etiam valet ratio cur movetur, cur dividitur, &c. quia extensum est, etiam si tamen major hic sit species, quæ & multis imposuit;

ut

ut enim moveatur, conditio quædam est ut extensum sit, non vera ratio cur moveatur, etiamsi enim extensum sit, non non est adhuc necessum ut moveatur, si igitur magis proprie responderetur, quæ ratio cur corpus moveatur, respondendum est, quia Deo sic visum est, sic ei placuit; quæ equidem non adhuc propria responsio est, arbitrium enim, constitutio, placitum, decretum, & quæ his similia sunt, ut summum pertinent ad rationem *ut* & ad rationem *ne*, de quibus vid. in Logica nostra; non sunt autem hæ veræ rationes.

FINIS.

IN-

INDEX
CAPITUM ET SCIENTIARUM METAPHYSICÆ VERÆ.

INTRODUCTIO AD PRIMAM SCIENTIAM.

CAP. I, & II.

PRIMA SCIENTIA.

Qua me cogitare & esse intelligo. P. 22

II. *Varios habeo cogitandi modos in indefinitum.* 23

III. *Ego sum res una atque simplex.* 24

IV. *Multæ sunt in me, quæ a me non dependent cogitationes.* 25

V. *Est sciens aliquis & volens diversus a me.* 26

VI. *Is idem cogitationes illas in me suscitat, interventu corporis cujusdam.* 28

VII. *Suscitantur etiam in me mediante motu.* 30

VIII. *Cor-*

VIII. *Corpus atque motus, nullam per se habent ad suscitandas in nobis cogitationes proportionem.* 32
IX. *Corpora sunt multa in infinitum, & interea aliquod meum est.* 33
X. *Homo sum.* 35
XI. *Humana mea conditio est penitus independens à me.* 36

PARS ALTERA.

Corpus est quid Extensum. 38

SCIENTIA PRIMA.

Corpus minime potest esse ab æterno. 42
II. *Corpus est ante me hominem.* 44
III. *Corpus quaquaversus in infinitum extenditur.* 45
IV. *Vacuum est impossibile.* 48
V. *Spatium est Corpus.* 50
VI. *Corpus est divisibile.* 55
VII. *Corpus habet tres dimensiones.* 62
VIII. *Corporum dimensiones inter se realiter non differunt.* 65
IX. *Corpus secundum trinam dimensionem divisibile est in infinitum* 76

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [298] - -
PUBLIC DOMAIN

X. *Corpus est mobile.* 82
XI. *Motum a se habere corpus non potest.* 84
XII. *Ex motu tempus atque successio.* 85
XIII. *Motus atque tempus non possunt esse ab initio, nedum ab æterno.* 92
XIV. *Corpus quiescere potest, respondet §* 10. *ubi dicebatur, Corpus moveri potest.* 97
XV. *A motu & quiete inter se conjunctis figura.* 100
XVI. *Impossibilis est idem corpus modo majus modo minus esse,* 102
XVII. *Corpus non replicabile, non penetrabile est.* 104
XVIII. *Corpus est palpabile.* 107

PARS TERTIA. 110

PRIMA SCIENTIA.

Ille est hominum Pater. 112
II. *Ille mens est.* 115
III. *Ille est Pater ineffabilis.* 117
IV. *Ille est Creator Mundi.* 119
V. *Fortis est ille creator seu motor.* 126

VI. *Sa-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [299] - -
PUBLIC DOMAIN

VI. *Sapiens est ille Pater atque creator.* 129
VII. *Liber est ille, & sui juris.* 134
VIII. *Ille est Dominus necis.* 141
IX. *Ipse est æternus.* 144
X. *Ille est a se.* 149
XI. *Ille est Perfectissimus.* Ibid.
XII. *Est ille Creator omnium.* 151

INDEX METAPHYSICÆ PARAGRAPHORUM AD MENTEM PERIPATETICAM.

§. I. *Introductio.* 155
§. II. *Pronitas humanæ mentis ad affigendum modos suarum cogitationum rebus cogitatis.* 158
§. III. *De Errore.* 173

PARS

INDEX.

PARS PRIMA.

In partem Peripateticæ Metaphysicæ primum, quæ est de Ente. 178

§. I. *De Ente in genere.* 181

§. II. *De Substantia & Accidente.* 188

§. III. *De Gradibus Substantiæ.* 198

§. IV. *De Gradibus Accidentis.* 203

§. V. *De proprietatibus simplicibus Entis.* 214

§. VI. *De Toto & Parte.* 220

§. VII. *De uno per se seu Ente unius naturæ, & uno per accidens.* 226

§. VIII. *De Universali & Singulari.* 231.

PARS ALTERA.

§. I. *De Modo Entis.* 241

§. II. *De Modo Perfecto, & imperfecto. De Recula, & Entitatula.* 247

§. III. *De Relatis, & Correlatis.* 251

§. IV. *De*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [301] - -

PUBLIC DOMAIN

§. IV. *De Obliquis.* 255
§. V. *De Gradu Positivo Comparativo & Superlativo.* 259
§. VI. *De Iisdem & diversis.* 267
§. VII. *De Repugnantibus & Compatibilibus.* 271
§. VIII. *De Essentia & Accidente.* 278

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [302] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [303] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [304] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [305] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [306] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 1, Stück 3;ZEN Leibn. Marg. 1, [307] - -

PUBLIC DOMAIN